2

PALMAE REGIAE

INVICTISSIMO
LVDOVICO XIII.
REGI CHRISTIANISSIMO
A PRÆCIPVIS NOSTRI ÆVI POETIS
in trophæum erectæ.

PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY Typographum
Regium, via Iacobæâ, sub Ciconiis.

M. DC. XXXIV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

VITTORIO EMANUELE
NAPOLI

IN PALMAS REGIAS INVICTISSIMO REGI.

IVLIO *Cæsari cùm in Alexandri Magni statuam incidisset, lacrymas obortas fuisse ferunt, ingemiscenti, quòd Princeps Macedo totum ferè terrarum orbem subegisset, ipse verò, id ætatis cùm esset, nihil aut parum egisset. Certè verò serio, si Alexandri Manibus aut Vmbræ contingeret* LVDOVICI *Regis ter maximi non statuam, sed erecta tot támque variis in locis Regiæ fortitudinis monumenta conspicere, hunc viros, se verò dumtaxat fœminas debellasse confiteretur, intuẽtique militarem Regis nostri solertiam in componendis agminibus, totáque acie sapienter instruenda, quam ille tantùm ex Homero deprõpserat, euenire opinor exclamare, se à caco magistro figmenta didicisse, cùm Imperator noster vera ac solida rei bellicæ documenta proprio marte con-*

cepta in victorias, palmásque deducat. Ac si tanto studio hæsit Alexander Homero, vt dies noctésque lectitaret Vatem nil nisi fabulas euoluentem, de se autem nihil, ne per somnium quidem edentem, quàm potiori iure, si non legendi, at æquis auribus audiendi & penitiore mentis recessu hospitandi sunt hi Musarum alumni, qui tibi Inuictißime LVDOVICE *tam suauiter occinunt, Homero vel hoc vno æquiores, quod de te omnia, eáque maxima canant, quod non versipellem Erronem, sed Sapientißimum Regem, nõ ruentem ab imo Troiam, quæ si aliquando fuit, vrbs vna fuit, sed innumerabiles penè ciuitates, non decennali obsidionè, sed vno vertentis anni curriculo, aut captas, aut solo æquatas referant: hoc minus fortasse Poëta, quod minus fingunt. Quos inter ego Anser velut inter olores de meo aliquid contuli, immo hæc omnia studiosè collegi atque selegi, procurante, aut potiùs iubente Eminentißimo Cardinali Duce, qui vt tibi Rex Consultißime primus est à consiliis, primus est, vt sic dicam à laudibus, de quib. non minùs quàm de tua salute sollicitus, omnia nostri temporis ingenia fatigat, propositísque præmiis allicit, vt tibi spiranti, vigentíque monumentum æternitatis excitent, hásque adeo palmas tua virtute partas in trophæum erectas velint. Scimus præclara tua gesta iampridem ari marmoribúsque commissa om-*

nium in se oculos rapere, sed hæc extra locorum in quibus sita sunt, sepia non exeunt; At hi Poëtarũ versus in tuas amplissimas laudes numeroso pede certatim euntium omnes terrarum, marisque tractus excurrent, quos tu Rex inclyte, vel peragrasti victoriis, vel terrore tui nominis compleuisti. Palmarum autem nomine hoc opus insignire placuit, quod Palma non Victoriæ modò, sed & Durationis symbolum habeatur, dum tardè, nullóque frondium labefacta defluuio consenescit. Viuent igitur hæ Regiæ Palmæ, crescéntque in dies, gliscente per incrementa virtutum felici Regis sydere, cuius benigno fotu candentia Lilia per totam Europam odoris fragrantiam longè quàm antehac suauiorem expirant. Sed neque obtrectatorum morsus hoc opus reformidat: Palmarum enim ingenium est, vt eo viuaciùs assurgant, atque in sublime nitantur, quo pertinaciùs quis eas deprimere contendit. Quòd si natura oblita, à tam nobili cõditione desciscerent, præsto est (Rex potentissime) tuum numen, cuius præsidio tecta, nullas ab æuo ruinas pertimescent. Sic tu, Rex, quia Iustus, vt palma florebis, sic palmæ istæ radiis tui fauoris aspersæ,

Sublimi ferient sydera vertice.

SC. D. GR.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

NE mirere, Lector, si nullam hîc, nec rerum, nec temporum, nec personarum seruatam seriem vides: nam vt singula in manus nostras venere, ea prælo subiecimus. Si qui sua hîc desiderari querentur, sciant ea nos effugisse, quibus tamen secunda editione, quæ breui locupletior prodibit & accuratior, faciemus satis. Hoc te monitum volui. Vale & fruere.

IN PALMAS REGIAS.

FELICEM *Princeps Macedo ter duxit Achillem,*
Cui bona Maoniam fata dedere tubam.
Æacide quantum LODOICE *beatior audis,*
Cui centum Aonia personuere tuba.
Quòd si fortè vetus cunctis pro vatibus vnus,
Est tibi Maonides qui minus ista probas;
Æacide maior fato LODOICVS *& armis*
Nunc mihi pro cunctis Regibus vnus erit.

Sc. D. Gr.

SVMMA PRIVILEGII:

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, & Patentibus eius litteris cautum, ne quis in Regno ipsius, aliísve locis eius ditioni subiectis, intra nouem proximos annos, à die impressionis primæ inchoandos & numerandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo & ratione curet Librum, qui inscribitur, *Palmæ Regiæ inuictissimo Ludouico XIII. Regi Christianiss.* &c. præter eum quem elegit D. de Boisrobert, cui hoc Priuilegium concessum est. Prohibitum insuper eadem authoritate Regia omnibus eius Subditis, eundem Librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam vbicumque fuerit ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu eiusdem, sub pœna confiscationis librorum, aliísve pœnis originali diplomate contra delinquentes expressis. Datum Parisiis die 23. Aprilis 1633. Signatum, DE LA TOVR.

Atque is D. de Boisrobert omne ius sibi à Principe concessum transmisit ac permisit Sebastiano Cramoisy, Librario Iurato, ac Typographo Regio ordinario, vt vtatur, fruatur, toto tempore Priuilegij, vt liquet in transactione cum eo super hac re facta 10. die Maij, anni 1633. Subscriptum, LE METEL.

Editio prima perfecta est die 12. Augusti, 1634.

PALMAE REGIÆ.

ICON LODOICI XIII. FRANCIÆ ET NAVARRÆ REGIS CHRISTIANISSIMI.

TAlis equo, tantúsq; armis Lodoicvs in Hostẽ
Prodiit; ad pugnas Pelago, Terráque per æstum,
Pérque niues teneris Princeps assuetus ab annis.
Quando renascentis toties ciuilis Echidnæ
Felici non arte minùs, quàm Marte recisis
Faucibus, ac Populo iam per tot bella rebelli
In priscos ritus, ac Regni iura recepto,
Et Patriæ Pater, & propriâ de Gente triumphans
Restituit Cœlum Terræ, atque altaria Diuis,
Ac Domini nomen Victoris nomine sanxit.
Vel quando inuitis Euris, atque æquore strato
Nauibus, Anglorúmque acie per tela, per ignes
Obsessæ sibi vicino de littore mittit

Auxilium Ræa, Cœlóque, Maríque coactis
Imperio ſeruire ſuo, ſimul hoſtica fundit
Caſtra, ſimul fuſas toto fugat æquore claſſes:
Oceanóque procul domito, atque in vincula miſſo,
Rupellæ muros, & inexpugnabile vallum
Æquat humo. Mox ignauæ, ac ſine nomine pacis
Impatiens aliò, ſed quà magis expedit Orbi,
Bella ciet; nec in hybernis ſua vota moratus,
Sed ſignis incunctanter procedere iuſſis,
Dum Cœlo deſæuit hyems, dum bruma rigentes
Vrit per campos artus (plus ſcilicet illi
Mentem vrit virtutis amor, laudúmque cupido)
Dúmque omnem ſtricto ferus intercludit Orion
Enſe viam, dum luciferas mortalibus horas
Contrahit emeritus Titan, Elementáque nobis
Cuncta negat, per pauca dierum & multa locorum
Interualla volans extremo à limite Regni,
Arma pruinoſas mouet intempeſta per Alpes.
Quæque animæ nondum fuerat penetralibus vlli,
Atque ipſis non antè quidem tentata per auras
Alitibus, tum Militibus via panditur, vnde
Obſtupuit, nec habens Natura quod ampliùs illi
Opponat, paſſa eſt ſe per miracula vinci.
Atque ita conſcenſo per montes æthere, iámque
Fulmine ſub pedibus longè, nimbóque relictis,
Cominùs affatur Diuos, armatus inermes;
Liberáque arcani venit in commercia Mundi
Securus Fatorum, & ahenæ ſulmine cannæ
Ipſe cauum per inane tonans, hilarîque canorùm
Gratantis clangore tubæ cognata ſalutans

Sidera, fas aperit Rerum, cur Itala bello
Regna petat, Cœlúmque piis communicat auſis.
Ac Ioue conſulto quas primùm liberet Vrbes,
Quorsúmve oppreſſo ſuccurrat promptiùs Orbi
Deſpectum procul ex alto deſcendit in Hoſtem.
Verùm præruptis qui cautibus vndique tutus
Rupis inacceſſæ, atque anguſto calle viarum
Regales parat incœptis auertere turmas,
Densóque oppoſitæ fidens munimine foſſæ
Inuictum ſibi ſe iactat, vanúmque ſuperbit
Inſuber, Allobróxque, Tridentinúſque, Ligúrque,
Ac vetus Hiſpano lectum de milite robur,
Vt Cœlo paſſim videt erumpentia caſtra,
Inque ſuas arces, montanáque ſepta maniplis
Æthereum per iter pronis Heroa ruentem,
Monſtra putat, veritúſque Deos, quos ſuſpicit omni
Aduentare polo, proiectis aufugit armis.
Vnde Susâ actutùm capta, Italiáque patente
Iam iam-tum poterat Fatis, atque Orbe potiri,
Sed Licito Decus anteferens, ac Viribus Æquum,
Regnandíque aliis malens præſcribere metas,
Quàm regnare Sibi, Taurinos, Eridaníque
Cornua ſummouiſſe iugo contentus Iberi,
Votáque Gonſalui nimis ambitioſa vetaſſe,
Non aliàs belli voluit ſucceſſibus vti,
Nec pluris victore frui, quàm vt ſalua cuique
Præſtaret ſua iura, modúmque imponeret armis.
Ac Populis priſcum in fœdus, Legúmque tenorem
Compoſitis retrò per quæ loca venerat Hoſtis,
Innocuas Vindex acies, & amica reducens

Agmina, Se patriis optatum reddidit aruis,
Et Palmis Oleas, Sceptris Caducea texens
Impleuit Cœlum famâ, formidine Terras.
Et sanè, si mens non læua fuisset Ibero,
Hæc facies tunc Orbis erat, mansuráque Rebus
Pax Hominum, quæ digna Polo deducere Diuos
Terris perpetuùm foret, Astræáque reuersâ
Saturni solido sæclum firmare metallo.
Obstitit Hispanæ sedenim sacer ambitus Aulæ,
Regnandíque æterna fames Erisichthonis Austri
Europæ damnis inhians, qui cuncta superbo
Regna vorans animo, solaque Libidine Rectum,
Solis Ius Armis pensans, dum milite misso
Longinquùm LODOICVS *abest, propriæque saluti*
Gentis ad Albani Montem vacat, atque Gebennas,
Vltima Ciuilis flammæ restinguere busta
Intentus, falsi (titulo ne crimen egeret)
Contra legitimum pretexto iure Tyranni,
Guastaldóque Niuernensem detrudere nitens,
Rursus ad arma vocat Populos, Aquilámque rapacem
Opponens cicuri Gallo, iuga Ratica sensim
Occupat, atque Aduam Germano velite frangens,
Cædibus Eridanum replet, Italiámque tumultu.
Allobrogísque fide pactis, auróque coemptâ
In commune scelus, Spinolam famáque, tropæísque
Insignem dubiis è finibus Hollandorum,
Eque triumphatâ Brédani mox vrbe vocatum
Hesperiis immittit agris, latéque subacto
Montis ferrati campo, quæ sola supersunt
Cázalis, aggeribus cingens, ac milite denso

Mœnia, Gonzagam incautum, ac nil tale timentem
Continuis subitò conatibus vrget, & omnis
(Proh pudor) Italiæ sceptrum molitur in Vno.
At pius intereà Princeps, cui publica cordi
Otia, seruandúmque Humanis gentibus Æquum,
Vt violata videt pacis conuenta Susinæ,
Ausoniámque peti, quanquam vix vlla ferendæ
Cõpia fiat opis, Populis sibi nempe per Vrbes
Quadrimæ lue consumptis, penoríque per agros
Exigui dape depastâ, sacríque Peculî
Exhausto stipe thesauro, tamen illico lectas
Sub signis cogens acies, inuictáque bellis
Agmina, Taurinas iterum transcurrit ad Alpes,
Sideris alterni patiens, ac paupere victu
Flebilis annonæ defecta viatica pensans,
Pérque famem quærens famam, prærupta viarum,
Insessósque locorum aditus, obductáque valla,
Arcésque, obiectásque acies, spectante Galasso
Cæsareæ duce militiæ, frustráque vetante
Traiicit; vndanti similis sub Veris adulti
Tempora vi torrentis aquæ, cùm liquitur omni
Nix hyberna iugo; non illam marginis alti
Naturalis obex tenuit, non saxa trabés-ve
Oppositæ, quin præcipiti trahat impete secum
Tecta, greges, armenta, viros, atque oppida, donec
Aggeribus tandem ruptis, a ponte soluto
Liberior; rapidâ paulùm mansuescat ab ipsâ,
Camporúmque vagum sese diffundat in æquor.
Haud secus impatiens Vrbi succurrere pressæ
Hostibus ad Doram fractis, atque Alpe reclusâ,

Heſperias erupit ouans LODOICVS *in oras;*
Ac debellatis Iſtríque, Tagíque, Padíque
Viribus, Europáque omni ſimul, Auilianos
Inuaſit campos, Taurináque plana, Sabaudæ
Vltor perfidiæ, faſtúſque repreſſor Iberi,
Italicíque æſtus deſtructor, Teutonicæque
Virtutis domitor: Pinarolóque recepto
Cum Sálucis, propugnatâ bis Cázalis arce,
Inflictâ bis pace, ſuis ſe denique reddit
Gentibus, Orbe quidem toto per fortia facta
Perpetuis laudum titulis, at nobiliori
Virtutis mercede ſuæ per conſcia corda
Æternùm gauiſurus, fœlíxque Seipſo.
Nec verò rebus Sibi tam feliciter actis,
Sedatóque hinc inde domíque, foríſque tumultu
Propterea magis in molles conſentit inertem
Delicias animum flecti, iucundá-ve ſaltem
Otia, quæ fecit reliquis, pacémque beatam
Indulgere Sibi. Miſeras iuuat eminùs Orbis
Arctoi lugere vices. Albiſque gementis,
Captiuæque Oderæ planctus, lamentáque mœſti
Viſurgis, necnon Rheni tot Regibus ante
Nota quidem ſed adhuc nulli ſuſcepta querela,
Haud illum dormire ſinunt. Miſerétque, pudétque
Iamdudum laceras Germani fœderis vrbes
Auſtriaco prædone rapi, quo vindice primùm
Defendi totámque ſui ſperare ſalutem
Debuerant. Lubet afflictæ ſuccurrere Genti;
At quonam pacto, res ardua. námque locorum
Interualla vetant, Danique recente ruinâ

Par auſi facinus reliquorum pectora prorſus
Conſternata iacent Regum, ſed & ipſa diù iam
Seruitiis aſſueta manus nec tendere cuiquam,
Nec reſilire iugo Germania degener audet.
Ergo ſuas ſecum vires, momentáque rerum
Penſat, ſicubi ſit forſan, quæ poſſit, & auſit
Inclyta Gens, horúmque laborum, harúmque venire
In partem laudum; conſpirantique Suëco
Præbet opes animóſque, ſuis inſurgat ab oris,
Diuinúmque opus incipiat, vicinior Hoſti.
Ac ne bellorum ſeries vetus inter Adolphos
Atque Sigiſmondum ſceptri de iure Suëci
Guſtauum vetet Heroïs attendere cœptis,
Ipſe Polonorum gentem, medióſque Boruſſos
Legato procul admonitos, ac pondere famæ
Compellit pactis haud vllis ante ſerendam
Protinus amplecti pacem, Francóſque vereri.
Nec tanti quoque fruſtratur compendia voti
Guſtauus, quin Sauromatis ea fœdera iurat
Illico, quæ LODOICVS *ait, pactóque ſaluti*
Teutonicæ bellique ſimul paciſque fideli
Inter vtrumque ſodalitio, vada Baltica tentat
Armatus, Regiáſque appellens nauibus oras
Hoſtes inde fugat, Stralſundi liberat Vrbem,
VValſtiniique latrociniis infamia cunctæ
Littora Vandaliæ, Pomeranique oppida tractus
Hiſpano, Croatáque truci poſſeſſa, ſuorum
Vindicat arbitrio Procerum, reducéſque paternis
Sedibus inſtaurat Populos, commercia Rebus.
Hinc celebri pugnâ ſtratis ad Lipſica caſtra

Cæsareis, Tiliíque vno certamine palmis
Omnibus euersis, iam fractos agmine primo
Saxonas indubiæ cladi subducit, & Hostem
Tum-demum didicit vinci potuisse, quod annis
Tot retrò, bellísque licet spectatior vsque
Vel numero maiore virûm, vel nomine rerum
Haud aliàs vsquam Germania viderat, ex quo
Siue suâ concors pro libertate Bohëmus,
Siue ferens rex Danus opem, pro viribus vnà
Quisque suis, noua nitenti restare Tyranno
Tentarunt, fœdúsque armis commune tueri.
Hoc itaque, atque aliis itidem successibus Austro
Vndique deiecto, redipiscendique prioris
Spe décoris, famæque Arctoa per oppida sensim
Erectis animis, populóque in vota vocato
Iuris vbique sui, subitò ceu fulmen in auras
Ab Ioue demissum campi per aperta Thuringi
Franconiæ sibi pandit iter, captáque repente
Herbipoli, Moguntiaco, totáque Nemetum,
Vangionúmque orâ, profligatísque Tyrannis
Ambobus simul, hinc Bauaro trans Neccaris, inde
Hispano trans valla Mosæ, sua tecta tot annos
Vsurpata Palatino, sua iura Bohëmis
Asserit, ac licet ereptos agnoscit in illo
Regis legitimi titulos, amissáque Sceptra
Solenni cultu, veterúmque integrat Honorum
Fascibus, ac Regem proprio Rex ore salutat.
O Mundi, rerúmque vices! suffragia quondam
Vana Hominum, cæcíque diu ludibria Fati,
Nunc décorum sibi summus apex, solíique supremum

Huma-

Humani culmen: nec enim Fors amplius illum
Priuatam sinit his Patronis ducere sortem.
Iámque ope Gotthorum multâ, iam Saxone toto,
Ipsiúsque adeò Friderici viribus aucta,
Quanquam Pannoniis adiecta Bohemia sceptris,
Inuisum detrectat onus parere Tyranno;
Ipsaque cunctorum conatibus obiice nullo
Praga patens, tot iám ventis, tot fluctibus acta
Nauseat, euomitóque lubens defungitur Austro.
Atque equidem Gustauus ibi hæc, at non minùs æquo
Numine prorumpens aliâ LODOICVS *ab orâ*
Diuinum maturat opus, sociíque laboris
Præcipuam nauans operam, confinia Regna
Vel domui nimis Austriacæ deuota, vel ipsi
Scilicet Hispano, atque Infanti subdita Claræ
Immensis exercitibus, magnáque virûm vi
Claudere, ne quà poscit opus grassante Sueco,
Instigátque rei sociæ commune periclum,
Belga potens, aut VVallo ferox, aut Vbius acer,
Aut cladi propior Treuir, aliæque subinde
Cis Rhenum Gentes conflato milite, totísque
Auxiliis Austrúm-ve iuuent, Gothúm-ve morentur,
Primùm fallacis Lotharingi cognita coram
Crimina castigat, fautor qui partis Iberæ,
Infidúsque Cliens, iuueniles Gastonis annos
Mollibus illecebris, blandâque libidine furtim
Corrumpens, ac spe sonti, votóque nefando
Per vetitas artes, commentáque callida tentans
Ciuili rursum campo committere Francos
Certabat Francis, atque in sua Lilia Fratres;

Si Diis non aliter visum tamen, aut meliores
Non assignarent LODOICO *Fata triumphos.*
Sed nec iure quidem super his decernere summo
Patronus cùm possit amat, nam lege Clientem
Dum Feudo mulctare licet, Diuina profanis
Anteferens, satis in pœnam sibi confore ducit,
Si modò, quas Lotharinga domus vel inertibus olim,
Vel stirpis de prole suæ cædentibus vltrò
Præstitibus Metensis agri subduxerat Vrbes,
Ædi restituat sacræ, Marsaléque muris
Ac celebri tutum fossâ, ditésque Salinas
In Cleri confert iterum bona, Diísque rependit
Fortunam sibi propitiam, Cœlique fauorem.
Tùm Medio-vici valido munimine septam,
Cæsaréisque diu firmatam viribus Arcem
Obsidione domat, castrorúmque ordine longo
Deuictis Saliæ ripam secus, atque Saraui
Gentibus Austrasiæ veteris, totáque Mosellâ,
Seu quà Treuirico nemorosa per auia tractu
Porrigitur, seu maiori quà confluit Amni,
Intrat inaccessam prisci de nomine turrim
Hermetis, Rhenóque ipsi dans iura, quod ante
Sæcula plùs septem Franco de sanguine nulli
Contigerat, cunctos aditus intercipit Hosti.
Quin aliâ quoque parte Mosæ vada, ne qua superstet
Gonsaluo versus Rhenum via, flumine toto
Præcludit, Batauísque armatæ gentis & auri
Multâ ope in excidium Traiecti, finitimósque
Brabantes Arausiaco ductore citatis
Belgarum vires, Hispanáque distinet arma.

Verùm quis furor, ô Superi! quæ Dira quietas
Gallorum mentes, ſecuráque pectora rurſum
In partes trahit, vt noſtri momenta retardet
Imperij? Quis vel Cœli, vel liuor Auerni
Aſtræam Terris iterùm, redituráque priſco
Qualia ſub Iano Mortalibus inuidet Auri
Sæcula? námque Orbem latè victricibus armis
Inſtauraturus dum ſic LODOICVS, *vbique*
Arctoam ſtatuit pacem, ſubditque volentes
Teutonas, ac dici Germanicus incipit, ecce
Gaſto peregrino ſua per, Fraternáque paſſim
Jura furens animo; Gaſto, quem Numinis ira
Hiſpanis innixum odiis, armiſque, doliſque,
Sed furiis actum magis, ambitibúſque Suorum
Perculit in proprias ſedes, cognatáque Regna.
Nec ſtetit in primæ bellum confinibus oræ,
Sed mediùm ſibi morigeras impunè per Vrbes
Gaſto ruit, turmáque omni de gente coactâ
Intima peruadit populans à Metibus vſque
Extremi iuga Narbonis, fonteſque Garumnæ,
Tótque nihil populis contrà nitentibus, omnem
Deuaſtat ſecurus agrum, & tam culta nouales
Prædia, tam lætas ſegetes, gentilia dona,
Non Indis pretioſa minùs, vel meſſe, vel auro,
Quæque animo iam cernit herus, ſpe concipit hæres,
Suſtinet heu labes! in prædam cedere Tungro
Raptori, Croatæque fero, Gallóque rebelli.
Quin Occitanas verſis veſana per Vrbes
Magnatum ſtudiis in Gaſtonis armá, fidémque
Migrantum paſſim prodit ſe factio, noxæ

Labe quidem damnosa suæ, plectendáque culpâ,
Sed magis exemplo: námque ordine fultus Equestri,
Principibúsque viris audentior vndique sæuit
Plebis tùm, Clerique furor, quem fœdere postquam
Piscenâ mediâ, ac plenis Conuentibus icto
Publica laudauere palàm suffragia, totæ
Deficiunt Vrbes, stabilítque Decurio crimen.
Quid faciat LODOICVS *ad hæc? incœptáne mittat,*
Ipse suis per tanta retrogradus interualla
Præsentem laturus opem, præstóque futurus?
An peragat, summámque manum, dum pauca supersunt,
Omnibus imponat bellis? Præstaret vtrumque,
Res sinerent; sed in alterutro cessare necessum est.
Hinc externa cient illum, impellúntque pericla,
Hinc retrahunt sua. diuersæ pietatis honesti
Confligunt motus, generoséque corda fatigant.
Vincit amor tandem Patriæ, placuítque vicissim
Ciuibus oppressis, propriæque accurrere Genti.
Nec mora, diuisis procedunt castra maniplis,
Hinc Arari, Rhodanóque per Heluia rura Nemausum,
Inde Lemouicos præter, cautésque Cadurci
Ad Volcas, Castrúmque Alarici, atque Auraca septa:
Ipse per Aruernos montes, tractúmque Velauni
Cemmenium Gabalos versus, Bliteráque cateruæ
Dux mediæ tendit rectà LODOICVS *ad Hostem.*
Ac veluti cùm spissatis contexitur Aër
Nubibus, impulsúmque fragoso turbine Cœlum
Fulgurat, ac rapidæ collisu dissilit Æthræ,
Infensi Iouis vltrices Mortalibus iras
Intentans, Rerúmque chaos, Mundíque ruinam,

Aonidum si fortè choros, vel fana relinquens
Delphica, vel Cyntho rediens tùm pulcher ab alto
Apparet subitus, conscendítque æthera Titan,
Illico sedatis vanescunt nubila ventis,
Cedit hyems, sudóque dies aperitur Olympo
Clarior, assertóque nouum decus additur Orbi.
Haud secus hostiles turmas, populariáque arma
Non Occitanis modò formidanda, sed æquè
Exitium toti, cladémque minantia Regno
Dissipat adueniens LODOICVS, *& agmine lectæ*
Pubis in aduersas acies ad prœlia misso,
Confestímque inito certamine, quicquid honesti
Roboris eximium fuit, ac virtutis in Hoste
Momento sternit, reliquos consternat, & ipsum
Castris exutum, pacémque orare coactum
Sanguinis instinctu vincit quoque Gastona caro,
Officiísque piis naturæ præuenit, ac per
Legatos æqui Fratris, Regísque benigni
Obsequiis vt legitimum sibi quærat amorem
Inuitat potiùs, quàm cogit triste subire
Victoris Dominique iugum, parcítque subacto.
Nec tamen effugit sceleris pars omnis inulta,
Sed quæ restabat LODOICI *laudibus, vna*
Laus reliquis addenda, locum quoque legibus, atque
Iustitiæ sinit esse suæ, labefactáque Genti
Lilia, desertámque fidem, Cœtúsque furentis
Acta Caput multis pro millibus expiat vnum.
Hæsit ad hæc, fateor, multùm LODOICVS, *& anceps*
In caro nimiùm sibi nomine restitit, vtrùm
Indulgens potiùs rumpat sacra fœdera legum,

O dolor ! an iuſtus firmet ? dubitandóque ſeſe
Pænè hominem iam faſſus erat : quis enim alter ab illo
In Terris , niſi qui pariter regnante per Aſtra
Iuſtitiâ Chelarum inter , ſpatiúmque nitentis
Erigones , Cœli dum ſtant examine recto
Ad trutinam , metuénſque axi per deuia Solis
Iuſtus inæquales emendat Iuppiter horas ,
Induerit lucis primo vim ſideris hauſtu ,
Nataliſque ſibi Libræ cœleſtia norit
Pondera , proſtrato victor , veniámque petenti
Mommoranciadæ non parſerit ? ARMANDI-ve
Supplicis illum adeò precibus , lacrymiſque recuſet ?
Quem non affectus proprij tener impetus , aut quem
Non corrupiſſet tantæ ambitioſa libido
Ignoſcendi animæ , ac generis décora inclyta tanti ?
Reſtitit ille quidem , fateor. Sed commoda ſecum
Publica dum pendit contrà , ſeriémque futuri
Inde mali , ſi tale nefas impune relinquat ,
Ipſum ſe tandem ſuperauit , & improba voti
Auſa pij , atque altum caſtigans corde dolorem ,
Exuit humanos ſenſus , séque aſſerit illâ
Parte Deum , toti quâ nempe quod vtile Regno ,
Quàm quod dulce ſibi curans magis , alma tueri
Elegit iura , ac Legum firmare vigorem.
Exemplóque cauere ſuis ; néque omnia perdat
Omnibus vt poſſit bene parcere , plectitur auctor.
Inde reſarcito luſtrata per oppida Regno
Victrices turmas , ſolidiſque illæſa cateruis
Agmina poſt tantum hinc illinc , totiéſque remenſum
Mobilibus caſtris iter ad ſtatiua reducit ,

Parisiósque suos, Luparæ sub regia tecta.
Indigetésque loci Diuos, illustria quondam
Nomina, Regales animas, inuicta quibus stat
Gallia, nunc sacros præsentia Numina, Manes.
Olim regnatas etiamnum habitantia sedes
Quà licet, & carum genio dignantia limen,
Heroúmque aliud si quid post funera restat,
Priuatósque Lares cultu veneratus ouanti,
Gratatúsque nouis omni de gente tropæis,
Dilectæ sibi delicias, hybernáque gaudet
Versaliæ, quem Vere petat, dum consulit, Hostem.
Scilicet hinc dilata breui rediturus ad arma
Europæ vindex, totiúsque Arbiter Orbis,
Austriacóque suâ misso sub lege Tyranno
Æternùm, ni Fata sibi contraria pugnent,
Fœdera facturus Populis, atque otia Mundo.
Idque omne vnius monitis, genio, atque instinctu
RICHELII DVCIS, *æternas qui pectore curas*
Immenso, Superúmque fouens arcana Deorum,
Atlantis Galli, quà rerum pondere fessus
Respirat, seséque oneri furatur iniquo
Par fuit Herculeâ munus ceruice subire,
Liligeræque Ratis per tempestatis acerbæ
Ciuiles motus, Europæásque procellas
Vndique iactatæ clauum fœlicibus vsque
Auspiciis moderatus opi miracula nostræ
Exhibuit nunquam sero credenda nepoti.
Qui pede securo gradiens per lubrica Sortis,
Casúsque ancipites, ac prona pericula Rerum,
Dum sibi quisque timens Tutelas ambit, & Orbis

Imperium ſuſpendit adhuc fatalis Enyo
Inter diſcordes, Terrarum numina, Diuos,
Haud vnquam vllius, fuerit licet ipſa Cybele
Mater, vel Ioue ſit ſatus ipſo, haud vllius vnquam
Numénve agnouit, neu rem reſpexit alîus,
Quàm Regis, Dominíque ſui. Qui munia Pacis,
Ac Belli quocunque ſtatu ſibi credita Rerum
Gnauiter, atque animosè obiens, & vbique fidelis
Indeflexa Miniſterij veſtigiâ ſeruans,
Deſpectis odiis, ſpreto liuore, ſalute
Neglectâ, miſſóque omni poſt publica voto,
Gallica diuiſis quæ viribus vndique caſſa
Reppererat, laceróque palàm deformia vultu
Regna ſuis non tantùm opibus, decoríque priori
Reſtituit, ſed & antiquæ plus limite toto
Celtidos, ac veris Rheni confinibus auxit.
Qui Titulis maior, Trabeis auguſtior, Oſtro
Sanctior, euentu conatus, vota potitis,
Famam re ſuperans, virtutis ſtemmata Gallæ,
Francorúmque potens tantùm decus extulit Orbi,
Quantùm par ſperare minùs fuit, vnde perennes,
Quos ſibi munifico ſub Principe nactus Honores
Dignior, vt minuit meritis, ita gradibus auxit,
Clarauit geſtis. Qui denique natus in Æui
Solamen, Clerique decus, Regníque ſalutem,
Quanquam perpetuis obnoxius inde Potentum
Inuidiis, cunctæque odio, teliſque petitus
Europæ, tamen ingenio quo præualet, & quâ
Cœleſtis radij, quâ noſtrûm cuique Prometheus
Illuxit face, Mortales ſupereminet omnes,

Sic

Sic Sibi, sic Rebus passim prospexit, vt Hostes
Vsque sui, Patriæque omnes eluserit, Aulam
Artibus, Hispanum technis, ac viribus Austrum.
Humanúmque opus egressus cœlestibus ausis,
Fatum consilio, virtute pericula vicit,
Inuidiámque sui tandem consumpsit amore.

IACOBVS FAVERBAV in suprema Vectigalium Curia Senator.

DE POMPA REGIA, SIVE LVDOVICI XIII Christianissimi Francorum Regis Processu, PANEGYRICVS I.

NYMPHA *domus custos patriæ, Magnique Parentis*
Deliciæ quondam, tua te, LODOICE, *vicissim*
Hospita, si vacuum est, si fas adiisse, salutat.
Lætior huic solito facies: qualisque nec antè
Visa tibi (quanquam meritò se læta ferebat)
Cum regni solenne decus, Prætoria tecum
Castra, Palatináque trahens sub signa cohortes
Oppida lustrasti; nec dedignatus eundo
Parua triumphales ad mœnia tendere gressus,

Officio & certare prior. Sed enim arduus illam
Maiestatis apex, tot circùm horrentia pilis
Agmina, tot lituum strepitus, & discolor æris
Terruerat latè species: cum pectore Regem
Præcipiens; nec qualis eras, sed quantus adires
Obiiciens animo, nondum explorata paueret
Colloquia, aspectu in primo. Quippe ætheris alti
Summa premens Titan, nullâque à nube refractus
Insuetos hebetat visus: sensimque receptis
Innocuus radiis trepidantia lumina mulcet.
Sic perculsa noua subeuntis imagine Regni
Obstupuit primùm, vixque eluctata resoluit
Ora, prior dum tu pompa referente triumphum
Ingrederis. Nunc illa suis successibus audax,
Præsentémque experta cupit: corámque videre
Ardet inexpletum, sed nec minùs ipsa videri.
Quippe memor, qua tu facilis pietate, quibusve
Solicitam, & tanti trepidam formidine cœpti
Erigis alloquiis. Medio stat pectore fixus
Frontis honos, roseæque decor ceruicis, & ora;
Ora Dei specie, patriisque micantia signis:
Eminus & gemino radiantes sidere ocelli;
Quæque alia aut in te formam expressura Parentis
Congessit natura fauens, atque vbere largo
Indidit: aut vsu, studióque adscita superbos
Conciliant populos, & colla ferocia subdunt.
Publicus hinc flammatus amor: hinc certa perenni
Imperio sancita fides, adstrictáque Regni
Vincula, Trinacrij nexu potiora Tyranni.
„Nam neque opes Regum validæ, nec flaua metalli

„Pondere cana ſitu multo, latebríſque repoſta;
„Non lateri affuſus cuſtos, non peruia nulli
„Limina, non acies campo, non æquore claſſes
„Diſpoſitæ tanto ſceptrum munimine firmant,
„Quantum animis illapſa pij concordia ſenſus,
„Nec pretio Rectoris amor, fictíſve redemptus
„Blanditiis, ſed ſponte Deo impellente paratus.
Certè aliàs Regum non vllus amantior olim,
Regibus inque vicem populus dilectior ibat
Francigenis: nulli melius per mutua norant
Obſequia hinc gnatos, atque hinc præbere parentes.
Priſca licet Macedûm iactentur Regna: vel ortu
Solis Achæmenius, primóque afflatus Eoo:
Cui Superûm haud diſpar quondam, Regíſque colendi
Religio, amborúmque ſacris coniuncta poteſtas.
At non hic ſeſe Francis aquauerit ardor.
Nec quacunque vagus anfractibus vtraque terras
Tethys Erythræis luſtrans à Gadibus arcet,
Vlla ſuum noſtro in Dominos contendat amorem.
Nec tamen hic idem in te-te conſuetus oberrat
Mentibus: at feruens, crebríſque acceſsibus auctus
Creſcit in immenſum, ſolitóque potentior ardet.
Nempe (fatebor enim) magni poſt condita Regni
Auſpicia, & Francos peregrina in ſede receptos;
Ex quo Romuleæ perrupto limite gentis
Teutonicas acies crinitus, & agmina Princeps
Tranſtulit, ac Rheni præter vaga flumina traxit,
Tempus ad hoc nullus, tot Regum ex ordine, vixit
Charior, aut tanto populi dilectus amore.
Nec dubiis manifeſta dedit ſuffragia ſignis.

Ecce morę impatiens, laxique cupidine tactus
Ætheris, atque vrbis paulum pertæſus, & aulæ,
Heu nimium optatos ſacris penetralibus effers,
Sic regno poſcente, gradus. Exinde potentis
Imperij opportuna legens, vt quæque trahebant
Aduentu recreanda tuo, cum Matre verenda
Ingrederis, pacémque viris & gaudia, belli
Diſcuſſo terrore, refers. Sic imbre madentes
Poſt Hyadas, denſiſque obductam nubibus æthram,
Emicat & ſudum retegit Sol igneus orbem.
Prò! quàm grata tuis placidæ ſpectacula pompæ!
Quàm læti fluxere dies! Quo te obuia plauſu
Nobilitas! ciuis quo circumfuſus ouantem
Concurſu fremituque capit! Quibus oppida paſſim
Ardebant ſtudiis! cùm te ſublimis, & auro
Inſtratus, tantóque ferox vectore per vrbes
Bæticus inferret ſonipes; currúve ſedentem
Arrecta niuei traherent ceruice iugales!
Delecti proceres, aulæ pars maxima, circùm
Frænatis tendunt in equis; regnique Senatus
Sanctior, arcani quibus eſt commiſſa poteſtas.
Tum pilata cohors, pictis comitatus in armis
Bellicus anteuolat, florentéſque ære manipli.
Ipſe inter cunctos, medium cingente corona,
Arduus incedens, cunctis formoſior ibas.
Qualiter, obſcuræ ſub prima crepuſcula lucis,
Candidus exoritur cœlo, tenebraſque repellit
Lucifer, ante alios mundi ſpectabilis ignes.
Talis ab Aurora, domitóque Oriente regreſſus,
Pampineóque regens virgatas verbere tigres

Mæonios Liber populos, atque arua pererrat
Lydia, maternóque insignes funere Thebas.
Illum tincta croco, & Melibœo murice cingit
Vestis, Hydaspeos auro intexente lapillos.
At quocunque leuem permiserit æquore currum,
Circûm omnis lasciuit humus, dehinc vitea spargit
Brachia: tùm liquidi musto decurrere fontes:
Hinc atque hinc crines hedera pendente reuinctæ
Bassarides, Satyrique fremunt: pulsúque Cythæron
Eminùs, aut celsi resonant deuexa Timoli.
Haud aliter se pompa Ducem comitata ferebat,
Finitimas acuens gratis rumoribus vrbes.
Exin turba frequens, nullo discrimine, raptim
Tendere in occursum, & viduatis mœnibus omnis
Vnà ætas ruere, ac totis efferuëre portis.
Mista virûm, matrúmque manus, simul innuba proles
Defixis inhiant oculis: vt crine decorum
Assurgat caput; inque genas vt lacteus ostro
Lenteſcat fallente nitor: quàm blandus ocellos
Torqueat; vt celsi candentia terga fatigans
Cornipedis, habiles pulchrè consurgat in artus.
Mirantur, pueriſque ostentant singula matres.
Nec vidisse sat est: iterúmque iterúmque propinquant
Visendi studio. Labor est inhibere ruentes.
Molirique viam, & turbâ defendere Regem.
Hæc dum prospectant resides: dum vulgus inermum
Pascitur, atque oculis per cuncta vagantibus hæret,
Procedunt Iuuenes. Et bellis vtilis ætas.
Pars eques ingreditur, seseque ostentat in auro;
Punicea gaudens chlamyde, & radiantibus armis.

Auro ſtrata rigent, frena aurea, & aureus enſem
Balteus à tergo bulla gemmante coërcet.
Pars pedes in galea, & fuluo thorace coruſcans
Progreditur duplici verſu: grauat aerea læuam
Fiſtula, quâ curuum capulus ſinuatur in arcum.
Hi teretes contos, & longa haſtilia criſpant;
Inclinántve humeris: cuncti ſua ſigna ſequentes
Agmine procedunt. telorum ferrea latè
Horreſcit ſeges; atque aduerſo Sole renidens
Æris inardeſcit, fluitátque per aëra fulgor.
Icta gemit tellus: tum denſo puluere nubes
Atra pedum pulſu, campóque volubilis errat.
Inde vbi iam viſi propiùs ſuccedere muris,
Martius extemplò canor inſonat: vndique rauco
Aera fremunt ſtrepitu, cœlique imitata fragores,
Horrificas tormenta vomunt per inania flammas.
Intrâ autem, quacunque gradus, & lumina flectit,
Latior occurrit ſpecies. Hinc tecta, ſacraſque
Fronde domos viridi, atque obtentu veſtis inumbrant.
Hortorum hîc calcantur opes, ſertóque recenti
Subter humus congeſta, & odoris floribus halat.
Pluriima pérque vias, & ſicubi laxior vrbis
Area, templorúmque aditus, extructa ſub auras
Pegmata conſurgunt: arquatáque fornice picto
Materies longis operum contextibus ora
Detinet. Hîc acies, deſcriptáque bella morantur
Borbonidum. hîc magni effigies, aut facta parentis,
Longa operum ſeries: ſeu victa potentibus armis
Mœnia; ſeu campis hoſtem diſiecit apertis.
Hîc habitu referens Martem, toruúſque videri;

Hîc placidus, vultúque ſuo. iuxtâ aurea proles
Coniuge cum caſta. Per tot monimenta fluentis
Lætitiæ, tot ſigna animi, tot publica amoris
Pignora deductam capiunt Prætoria pompam.
Hîc verò hîc maior populi concurſus ad alta
Limina: pérque fores, & longa per atria præceps
Nimbus agit ſeſe. Nec iam cohibere ſatelles
Sufficit: infuſam capiunt penetralia plebem.
Nec verò aſperior miles; nec fuſte ruentes
Summouet, aut ferrum intentans ſubeuntibus obſtat.
Sed pius, & longo domini manſuetus ab vſu,
Et vinci ſe gaudet, & vltrò à limine cedit.
Ipſe manu admiſſos iuuenis, nutúque, repelli
Haud ſinit: ipſe aditum propiùs cunctantibus offert.
Nec rudis interea vulgi importuna fatigat
Offenſum pietas. Macti ô clariſſima Regum
Nomina, Francigenæ Heroës, quos læta tulere
Sæcula; qui cultum hunc primi, morémque dediſtis
Regibus, acceptum veſtri coluere nepotes.
Sic regere imperio faciles, ſic libera colla
Ciuili mulcere iugo, ſic flectere mentes,
Inque animos dare iura licet, non corpora tantùm,
Ceu pecudum genus, aut pretio exercere redemptos.
His alios ritus, alienáque iura capeſſant
Barbarici reges: aut Biſtonis aula Tyranni:
Aut Arabum Arſacidúmque Duces: aut accola Moſchi
Sarmata: vel Scythici præter iuga ſparſus Imaui
Tartarus: extremóque Sinæ procul orbe iacentes:
Aut Mogorum, Æthiopúmve genus. tum ſi quis ad ortum
Guineo prætenta ſinu tenet arua Beninus.

Quem liquidi expertem potus, neque frugis egentem
Credula fert gentis pietas, & Numinis instar
Prosequitur votis, tecto interiore repostum.
Vsque adeo spectare nefas, aut prodere luci.
Ergo illi in tenebris vitam, solísque fatigent
Ædibus infossi. Non hos plebeia tueri
Lumina: vix ipsæ possint spectare latentem
Excubiæ: nec cui metuat, seruétque satelles
Norit, cui vigiles soleat traducere noctes.
Hic velut in cauea clausus, pinguíque polenta
Attilis, & dapibus glíscens genialibus anser.
Aut velut in stabulis satura ad præsepia grandis
Victima, non alios proni quàm ventris ad vsus
Pascitur infelix, & obeso corpore serpit,
Fœmineas inter doctus reptare cateruas,
Communémque odisse diem: nisi si qua videndi
Tempora, descriptæque vices, voluentibus annis,
Extulerint: Qualis rimosi parietis antro
Ocyus ad Solem tergo squallente lacertus
Emicuit, raptimque cauo caput abdidit arcto.
Ac velut obscura sub nocte volantia sulcos
Sidera, vel rari crinem traxere cometæ,
Prodigiúmque ferunt. Sic non impune tueri,
Nec nullo terrore datum est, quos illa latendi
Degener ambitio tacitis penetralibus abdit.
At non ille polum vitæque & luminis auctor
Rarus obit Titan: spatio sed lætus eodem
Voluitur axe super medio; quo limite currens
Omnia prospectat toto spectabilis orbe.
Hanc sese ad speciem Princeps, populíque magister

Tem-

Temperet, & posito vulgi consortia fastu
Quondam etiam admittat: nec, si vulgata potestas
Se facilem mitémque dabit, decedere quidquam
Sentiet: imò amplum titulis accrescere nomen;
Et quocunque volet populos transire sequaces.
Sic magni creuêre Duces, quos Roma triumphis
Inclyta, vel Danaum tellus, vel barbara si quos
Extulit egregios meritis: quorum iisse per ora
Cernimus, & latè mundo increbrescere nomen.
Atque alius sæuos aciem dum vertit in hostes,
Primus inire viam, saltúsque aperire bipenni:
Prætentare lacus dubios: transire natatu
Flumina: nunc saltu fossas: nunc ardua cursu
Exuperare prior: fallentes rumpere crustas:
Aut gressu signare niues: offerre pruinis
Intectum caput: armorum sub mole grauari.
Tela manu, vallúmque pedes portare: manúque
Moliri clypeum: nec iniquo pondere fasces
Detrectare humeris: nec secius aggere iacto
Castra parare manu, atque altè demittere sulcos:
Castrensi gaudere cibo. Ciuilibus alter
Intentus studiis miseris dare iura, querelas
Excipere, ac turbæ sese miscere clientum.
Alter acerba pati facilis conuicia: nec se
Legibus vlciscì, aut comitum vibrare secures.
Quadriiugis hic vectus equis, cultúque superbus
Regifico, agrestis non munera parua coloni,
Atque cauis haustam manibus de gurgite lympham
Abnuit. Haud tales gentis maiórque Tyrannus,
Et minor Ætnæa: qui vel diffidere proli,

Nec ferro tondere comas, villoſáque menta;
Sed leuibus flammis, & cortice glandis obuſtæ
Stringere: non alius, qui cum cuſtode moloſſo
Alta inter tabulata, ipſóque in culmine tecti
Pendentem nidum, & latebroſa cubilia fixit,
Quò ſine nec ſcalis aditus, nec ſcandere quiſquam
Roboris obtentu, & iunctæ trabis obiice poſſet.
Vel qui, dum gemini diuortia littoris audet
Iungere, Phryxæo pontem indignante profundo,
Tercentum ſecuit Neptunia terga flagellis
Demens, & pelagi Diuos in bella popoſcit.
Ergo illi exortes vitæ, nec lucis eodem
Munere dignantur veſci, aut communibus auris.
Nec fauor hos turbæ tangit, populíque minoris
Gratia, quem ſolo mos eſt cenſere tributo.
In foribus, primóque ingens in limine terror,
Pœnarúmque minæ, faciéſque aſperrima mortis,
Carceris in tetri ſpeciem, aut ſqualentis Auerni.
Inde horrenda ſitu, latéque ſilentia circûm
Excipiunt ſpatia. Haud cuiquam penetrare facultas.
Vel ſi cunque datur; ſi fors patuere vocatis:
Haſtati circunſiſtunt, trepidóſque morantur,
Teláque veſtigant. Manet ille, & inertia ducit
Otia ſeceſſu in vaſto. Ceu belua multa
Cæde hominum, pecudúmque nocens, terrore per orbem
Septa ſuo, procul aut immani procubat antro,
Aut deſolatis iam ſola in ſaltibus errat.
Diffugiunt, propiúſque timent contingere greſſu.
Tale ſub ardenti paſtor Neptunius Ætna
Horrendæ penetrale domus, cæcóſque tenebat

Deformi ſqualore lares; aut accola rupis
Cacus Auentinæ. Circum hos infráque ſupráque
Fixa virûm capita, & turpi manantia tabo.
Hîc tellus ſanie concreta, atque imbre rubeſcit
Sanguineo: aſt illîc proiectis oſſibus albet.
Deſertæ haud aliter latebræ, ignotíque receſſus
Lucifugo regi, ſimilíque horrore coluntur,
Vrbis inacceſſi populo: ſic atria longè
Mœſta ſilent. At non hæc olim exempla ſecuti,
Queis genus, & ſtirpem egregiam, aut felicia debes
Sceptra. ſed ante alios, quorum tibi moribus illis
Fatale impoſitum eſt nomen. Cui maximus Heros
Cœlicolum adſcriptus numero, templiſque ſacratus?
Aut populi non dictus amor, cui proxima retro
Nominis eſt à te ſeries, decimúſque mereris
Tertius ex illo faſtos augere priores?
Quem tuus ille latet genitor? Quo pectore Regum
Altius inſedit pietas? Quis culmine ab alto
Cedere? Quis cultus melior deſcendere ad imos,
Et ſe velle parem cunctis? Quis ſuauior illo
Alternos miſcere iocos? Quis mitior vnquam,
Charior aut patriæ princeps? Hoc magnus ab vno
Audiet æternùm, clari cognominis heres:
Quod neque Pellæo iuueni, nec Cæſaris olim
Iuſtiùs adſcriptum eſt genero. Námque ille ſubactæ
Perſidis, & belli partum ſudore, cruentis
Cædibus hunc demum tituli fœdauit honorem.
Huic patriæ clades, pollutáque cæde ſuorum
Dextra dedit, ſociúſque cruor: tum vindice Sulla
Vel meruiſſe nefas. Non hoc Mauortia bella

HENRICO *peperere decus. Quanquam illa fuere*
Qualia nec mendax auſit finxiſſe vetuſtas.
Mille acies campo: totidem ſub mœnibus actæ:
Proſtrataque vrbes in terram: auditáque longè
Fulmina cum fremitu raptas torquentia turres.
Sed laudis ſeges iſta minor maiore triumpho
Vincitur. Hanc meriti mercedem, hæc præmia tanti
Nominis Actææ laurus concedit oliuæ.

Tu quoque Diuorum ſoboles, fatóque paterni
Sanguinis, & cultu, primiſque edoctus ab annis,
Hæc ſequere, hos animis vitæque inoleſcere mores
Paullatim patere, & veſtigia nota frequenta.
Nec verò monitoris eges, vociſque magiſtræ.
Nec tibi ſe quiſquam veterum (modò ſuppetat ætas
Longior) hac olim certet contendere laude.
Tantus in ore decor, placidíque modeſtia vultus:
Et vox affatu facilis; frontiſque ſerenæ
Certa fides. Puro qualis nitor æthere fulget;
Gemmáque quæ fuluo radians intexitur auro:
Aut ebur, aut Pario marmor de monte reciſum.
Non rigor in facie, toruíque iniuria faſtus:
Nulla ſupercilij nubes: non dextera torpet,
Linguáque reddendæ officium cunctata ſalutis.
Adde animos flecti dociles, quocunque regentum
Conſilia, aut caſtæ traheret reuerentia Matris.
Adde quòd his ſtudiis, & ad has tractabilis artes
Prima rudimentis præſtructa eſt mollibus ætas.

Hoc erat, à primis quòd adhuc vagitibus infans
Non vitam enerui luxu, curíſque trahebas
Mollibus, expertémque operis, vel deſidis aulæ

Parietibus ſeptam: quòd raptus ab vbere, nondum
Greſſibus explicitis, nec ſe ſoluente loquela,
Inter equos, atque arma puer, ſtrepitúſque tubarum,
Enſéſque, clypeóſque, atque ære micantia tela
Diſcebas, bellíque inter reptare ſonores:
Quòd nemore vrbano, quòd aprico in gramine currens,
Laxáque per campi ſpatia, aut viridantibus hortis,
Mille modis Martem, ſimulatáque bella ciebas,
Haud ignota mihi, atque alio iam carmine dicta.
Hoc erat hoc, quòd te paſſim ſpectare licebat:
Ludere quòd tecum miles, quòd cernere vulgus
Ædibus immiſſum: quòd eo plaudente ſolebas
Inſultare in equo, crebróque laceſſere flexu
Spumantem, & patulis efflantem naribus ignes.
Aut procul & iaculo certare, & cominùs enſe,
Spiculáque ad metam, aut glandes torquere ſonoras.
Quódque abſente fores, quàm te præſente, recluſæ
Parciùs, admiſſíque tua in cœnacula paſſim
Interſunt epulis, oculóſque per omnia ducunt.
Ergo alacris te te populi, te militis ardens
Ambit amor. de te regni pars vtraque certat:
Vtraque iam ſtabili gaudet ſe fœdere iungi.
O bene concordes! ô nullis cognita ſæclis
Tempora! cùm partes ſeſe diffundit in ambas
Aurea pax: quam non leges, non triſtia cogunt
Vincula: ſed mores, Dominíque exempla tuentur.
Vidimus hoc nuper: pompa gradiente per arua
Bellicus vt tacitis latè ſtipator in armis
Innocuum properaret iter. non damna colonus
Vlla ſui paſſus pecoris. (Quid enim oppida dicam

Nullius vexata manu?) non rapta ſupellex.
Non detrita ſeges campo: tutíque per agros
Errauere greges: nil raucæ cortis alumnis
Defuit. arma inter ſecurus, & agmina paſtor
Pars quoque ſpectantum eſt: turmiſque immiſtus oberrat.
Hoſpitióque capit lætus. non ruſtica gaza,
Nec paruæ infodiuntur opes. nil triſte ſecutum,
At priùs, æratæ quoties, ſeu Martis ad vſum
Proceſſere manus, ſeu quô fortuna vocaret,
Quale iter, ô ſuperi! quanto terrore profectæ!
Vtque ſub æſtatem mediam, cùm lactea turget
In ſtipulam meſſis, ſegetúmque natantibus aruis
Culmina inhorreſcunt, ſuſpirantque horrea fruges,
Sicubi fœta vndis, vel denſa grandine nubes
Nigrantem cogi in cumulum, ac deſcendere viſa eſt
Paulatim ad terras, piceóque volumine ferri:
Heu! quibus incumbet campis; vbi pondera ponet;
Arrecti circumſpectant, trepidantiáque haurit
Corda pauor. tum præcipiti formidine paſtor
Sparſa ciet pecora, & crebris latratibus vrgens,
Rupe ſub exeſa, patuláque ſub arbore cogit.
Illa cadens magnámque ſatis, magnámque tenellis
Dat ſtragem arboribus, & ſpes interficit anni.
Non minus, armatæ ſteterant qua parte cohortes;
Aut vbi rauca ſonans fremeret tuba: protinus omnes
Saxa per, & montes, nemorúmque per auia ferri,
Vaſáque comportare humeris, aut condere terra.
Diripere interea miles quod cuique relictum;
Igne cremare domos, prædámque auertere tectis.
Non ita Borbonidum in caſtris; ſoliſque tremenda

Hoſtibus it diſpar linguáque habitúque iuuentus;
Par ducis obſequio, ſtudióque ſimillima recti.
Vt quocunque ambo tulerint veſtigia, credas
Hos fratres, illum populi adueniſſe parentem.
Hinc illæ audiri voces, & vota precantum,
Non aliâs ſincera magis. Pars longius æui
Metiri ſpatium, & Pyliis tranſmittere ſæclis
Egregium Iuuenem. Pars haud incerta futuri,
Optat auo ſimilem. Pars in decora alta parentis,
Ingentéſque animos, & non imitabile robur
Mittit. opes alius regni ad tutamen habendas.
Hic vouet imperij fines, quos fluctus vtrinque
Alluit Oceani: quæcunque oriente refuſus
Prima videt Titan, & quæ poſtrema relinquit.
Non eadem cuncti cupiunt: tamen vna petendi
Menſura eſt, quod quiſque animis ardentibus amplum,
Extremúmque putat. Sed quanquam ingentia, quamuis
Anxia certatim populi tibi vota laborent,
Vincuntur ſtudiis: nec qui capit illa, tuorum
Se capit affectus. nil iam ſupereſſe quod optet
Exundans quæritur. Nam quo ſeſe ipſe fatigans
It magis, exuperat magis, atque accreſcit eundo.
O pater! ô regum ſator, & ſate ſanguine regum!
Maximè Francorum princeps! quo nulla priorem
Sæcula: pauca dabunt animo manibúſque ſecundum,
Cui nihil ex tanto Superúmque hominúmque fauore
Amplius acceſſit; nec habet tua gloria matus,
Quam quòd progenies talis tibi munere Diuum
Contigit, haud genitori impar, ſed nomine claro
Quæ proauum referens, & te virtute referret.

Quis tibi tunc (æui ſpatium ſi fata dediſſent)
Talia cernenti ſenſúſque animúſque fuiſſet?
O vtinam populíque tui ſpectator adeſſes,
Et ſobolis, nec te noſtro prius æthere caſſum
Amborum ex oculis mors immatura tuliſſet!
Quanquam aderas, & te melior ſeu regia Diuûm
Orbe tenet medio cœli, quâ noctibus æquo
Libra diem ſpatio, & Soles compenſat iniquos:
Seu Phœbi ſuperare vias, mundique tenere
Ardua conceſſum eſt, geminas vbi lubricus Arctos
Diuidit, & circum in ſpiras conuoluitur Anguis:
Vnde tuos luſtras propiori ſidere Gallos:
Non te lætitiæ exortem ſollemnia cari
Pignoris, & populi plauſus latuere ſecundi.
Vidiſti, & pariter tecum longo ordine Franci
Indigetes, tua quos peperit conſortia virtus.
Ipſum incedentem latè, cultúque decorum
Inſigni, proceres inter: ſe fundere totis
Mœnibus, & magnas occurrere cominùs vrbes.
Impleri campos, fremere omnem murmure læto
Cæruleum Ligerim, quo non felicior alter
His regni auſpiciis melioris, & omine tanto,
In mare Francigenum per culta reuoluitur amnis.
Quod ſi aliâs tanti potuit latuiſſe triumphi
Gloria: tunc certè, tua cùm delubra ſubiret,
Agnoſti prolem genitor: neque fida fefellit
Tot tibi natorum conſors, dignata potenti
Connubio, tua cui debet poſt fata ſalutem
Imperium, & caræ per tot diſcrimina ſtirpis
Intemeratus honos. Nam quæ tibi gratior vſquam,

Quáque

Quáque magis ſancti cupiant conſiſtere manes,
Quam quæ prima tui meruit cunabula quondam
Sacra Deo ſedes, magníque ingentia cordis
Pignora felici gaudens complectitur vrna?
Hic amor; hoc ſtudium: ſera hæc & maxima viuo
Antè fuit, ſequitúrque eadem poſt fata voluptas.
Ergo iter, aduentúmque piæ cum coniuge prolis
Senſerat HENRICVS. *Quanquam monimenta doloris*
Illa ſui aſpicere, aut ſacros intrare receſſus
Suſtinuit neuter. manet alto in pectore fixum
Vulnus adhuc, nimióque timet crudeſcere luctu.
Senſerat ille tamen. quin & migrantibus Heros
Hanc prior iniecit mentem, paullúmque ſubegit
Flectere iter, noſtríſque aduertere mœnibus agmen.
Ille & cunctantem ſæpe, & diuerſa parantem;
(Nam quis ad has ventura vnquam tot millia ſedes
Crederet, aut parua poſſet ſtabulare ſub vrbe?)
Aggreditur, matrem extimulans: nec ſecius inſtat
Flagranti puero? Fixámque requirere, Fixam
Suſpirare diu iuuenili ardore ſuburget.
Ventum erat ad Fixam. teneros hortator alumnos
Idem agit: idem acres ſub pectore concutit ignes;
Aduentúque parat, ſolitáſque accingit ad artes.

D. PETAVIVS SOC. IESV.

PANEGYRICVS II.

Quo Fixenſes Magni HENRICI Scholæ, quæque ibidem geſta, deſcribuntur.

HACTENVS armorum ſtrepitus, Mauortiáque æra,
Tympanáque, & ſæuis tormenta ſonantia flammis:
Effuſæque acies, & fulguris inſtar ahena
Luce renidentes ſubeuntem ád mœnia paſſim
Excepere viri. Quin & puerile ſub armis,
Quâ Ligeris celſas Turonum prælabitur arces,
Delitias regni, hortorúmque vbere lætas,
Agmen in occurſum portis ſe effudit apertis.
Quingenti in turmas pueri, ſua quiſque ſecuti
Signa, pares habitu veſtiſque & corporis ibant.
Spicula lentantur dextris, humeróve recurui
Incumbunt tubuli. Sedenim tibi pacis alumno
Armorum exhauſtum ſatis eſt. ſat Gorgone ſæua
Bellica præluſit virgo. ſpectacula, Princeps,
Palladis armatæ nondum tua tempora poſcunt.
Ergo eadem alterius ſpecimen tibi comparat artis:
Iam comites quærit Muſas. Namque ipſe morantes
Arcitenens plectro pater increpat. ocyùs omnes
Approperant, regémque ſuum, ſua tecta reuiſunt,
Vrbe ab Aquitana reduces templóque minori.
(Hîc quoque Diuarum eſt ſedes: vbi Pictonis agri
Clanius humectat felicia culta, priuſquam
Ore Vienna tuo Creuſæ ſe miſceat vndis)
Illinc Borbonias properè chorus omnis ad ædes

Emicat Aonidum. Vos me per cuncta parantem
Ire, Deæ! ſacráſque domos, operoſáque templa,
Borbonio fundata Duci, & quæ digna paternis
Hoſpitiis tantus ſpectacula viderit heres,
Carmine tentantem venientibus edere ſæclis
Ducite Pierides. Quâ ſeptem obuerſa Trioni
Flexia vicinos à tergo proſpicit Andes,
Vrbe ſub extrema locus eſt, paruíſque propinquus
Mœnibus axem inter gelidum, Cauróſque recedit,
HENRICI *domus. Hanc priſco de ſanguine Regum*
Vindocini coluere Duces: quibus alta Pyrenes
Sub iuga finitimus cum Vaſcone ceſſit Ibero
Cantaber: & primo lapſum qui fonte Garumnam
Excipiens claudit Vŏlcæ confinia Fluſtas.
Illic bellipotens, & eâdem à ſtirpe parentum
Et ſatus, & primis quondam nutritus ab annis,
Ipſe lares Phœbo patrios, ſedéſque ſacrauit
Antiquas, ſpatiiſque Heros ingentibus auxit.
Impoſuítque viros, certo qui fœdere templi
Cuſtodes, puerúmque forent, operúmque magiſtri.
Primus ab ingreſſu ſubitò proſpectus in arces
Borbonidum antiquas: veteri quâ condita ſaxo
Tectorum aſſurgit moles; laxúmque feneſtræ
Solibus æſtiuis iter ad penetralia pandunt:
Seu latere impreſſæ medio; ſeu culminis alti
Suppoſitæ dorſo faſtigia celſa corŏnant.
Fronde virent circûm patula, tectíque ſub imis
Parietibus denſæ præbent vmbracula ficus.
Inde minor ſpargit fruticantes Punica ramos.
Frontis ab aduerſo facies gratiſſima; qualem

Ingens ex aditu, ſpatióque effuſa per amplum
Area ab vrbe domum primò ſubeuntibus offert.
Flectitur hæc læuâ interior. Mox altera rurſum
Atria tranſuerſo capiunt porrecta receſſu.
Muſarum hîc ſedes, ſectóque cubilia ſaxo,
Fornice tecta ſuper, caſtæ notiſſima pubi
Limina. mollis vbi, & primæuo flore per artes
Fingitur. ad dextram gradibus patet ampla reflexis
Ianua: quâ geminam via fert acliuis ad aulam.
Sanctior hæc longè ſtatio. quæ parte ſiniſtra
Cernitur, hîc Tripodum ſortes, cortináque Phœbi:
Arduus vnde ſedens Superûm reſponſa, Déique
Conſilia interpres reſerat. Diſcrimine paruo
Itur in aduerſum limen, ſacróſque receſſus,
Numine terribiles multo, & cæleſtibus aris.
Has Deus, has ſedes habitat Deus. inſuper ipſi
Optauere locum reges; qui fœdere iuncto
Dextra aram læuáque tenent; inde acer in armis
Carolus: hinc pietate prior, neque Marte ſecundus,
Bíſque Arabum domitor: genus à quo Principe ducunt
Borbonij Heroës: quorum qui maximus, ingens
Occupat à læua ſpatium, & ſupereminet ambos.
Parua vbi tantiſper magni ſacraria cordis,
Secretíque lares: donec manus vltima templo
Accedat: cœptíque operis faſtigia ſurgant:
Quâ latus oppoſitum brumali tunditur Afro.
Quo te digna loco (ſi quid, pater optime, dignum
Eſſe poteſt) delubra tuus iam deſtinat heres.
Et iam parietibus poſitis ſtat deſuper ingens
Materies; trabibúſque horret ſilua ardua quernis.

Sectilis in dorsum curuata cacumine nigro
Comprendit tabulata lapis. Pars imbribus atris
Perpluitur pridem, tepidóque madescit ab Austro
Interruptus apex. Tum, qui defendere possent,
Area fornicibus nondum est obducta supernis.
Ille tibi seruatus honos, LODOICE, paternos
Sedibus vt manes propriis, atque aggere condas
Perpetuo, molémque suam, sua præmia norint.
Porticus à tergo solem transuersa cadentem
Respicit. Hæ templi fauces; & peruia passim
Limina tectorum inter se: quà se omnis ab vrbe
Ædibus immittit Musis operata iuuentus;
Æra vbi concrepuere, ruítque effusa vicissim,
Fluminis in morem, alternóque refunditur æstu.
Hâc iter ad sedem est, & quæ pulcerrima visu
Regia concluſos septis moderatur alumnos.
Rarum opus; ingenio vatisque, & carmine maius.
Quatuor hîc primùm in partes distincta domorum
Culmina decliui tolluntur in aëra dorso.
Hæc circùm. in medio cauea diffusa patentis
Planities. Talem poteras dixisse theatri
Effigiem, aut spatiis Circensibus; aut vbi cæde
Pinguis arena rubet: nisi vel sinuata coirent
In quadrum latera; aut plumbi libramine iusto
Directas ab humo totidem ad fastigia tecti
Obiiceret facies: nec per deuexa supinus
Cresceret ad summum paries. Latera omnia surgunt
Ordine tectorum triplici. Sua cuique per orbem
Peruia transmittunt liquidos specularia Soles.
Vndique membrorum solida compage, quaternis

Flexibus inſertæ iungunt diſcrimina turres.
Saxeáque ad ſummum gradibus via ſecta reductis.
Talis erat moles, Genitor quam maximus Vrbi
Addidit; inque foro poſitam fundauit Equeſtri:
Si non porticibus circùm interrupta cauatis
Ima forent. nam noſtra cauos neque ſuſtinet arcus,
Et, niſi quâ foribus laxatur, in aëra ſurgit
Pariete perpetuo. Tales tibi, Phœbe, penates
Henrici pietas, & nulli æquanda tuorum
Contulit hoſpitia. Hîc doctas habitare Sorores,
Séque, ſuóſque adeò voluit. Quîs Regia poſtquam
Succeſſit magni ſoboles Patris: intremere omnis
Protinus ex adytis, magnóque horrore moueri
Viſa domus: ſubitóque afflatu numinis ardens
Pectoribus iuuenum calor incidit. vnde repente
Emicuêre alacres, fremitúmque per atria voluunt:
Expediúntque manus. opere ingens area feruet.
Vndique collucere domus: non veſtis, & auri
Fulgure: non Phrygio luxu: neque ditis Eoi
Vellere: non ebore, aut ſculpti ſplendore metalli.
Ingenij labor omnis erat: dignúmque Camœnis
Munus Apollineæ fulgebant vndique chartæ,
Suffixæ medio in ſpatio: quâ ſepta tabellis
Semita per plenum latè interfuſa cucurrit.
Intendunt alij ramos, feſtáque coronant
Fronde locum. Hîc dubia, aut viſus fallentia fictis
Ludit imaginibus. Primo ſub limine Regem
Admittunt alij: Phœbóque afflata ſalutem
Ora canunt ſubitò variis reſonantia linguis.
Naiades excipiunt: & quæ vel iuſſa ſubiret

Surgite depresso, vel iussa recederet vnda.
Parte alia rupes educto vertice in auras.
Scrupea, Parnassi effigie: cui turba Sororum
Desuper & cithara venientem & carmine mulcet.
Inde alij, rursúmque alij: nec finis: & altum
Iam nemus, ingentésque gradum molitur ad hortos.
Proxima vtrisque domus, boream inter, & vltima solis
Lumina. sed tenui currens interfluit alueo
Lœrius: imposito pereunt discrimina ponte.
Hortus ab aprico (primum hûc via secta) minorem
Desinit in silúam, & molli prætexitur vmbra.
Numen habere locum memorant. Nam maximus illîc
Borbonides primis fertur lusisse sub annis,
Et viridi insultasse solo, cùm fortia bella
Disceret, & ficta tentaret imagine martem.
Et nunc seruat adhuc tenuis vestigia cliuus
Crate sub arborea modicum laxatus in orbem:
Vnde puer paruos simulatis mœnibus hostes
Proturbare, vel obsessos agitare solebat.
Prætérit, & longè cunabula patris adorans
Læua petit gnatus. lœuam densissimus vmbra
Lucus habet, multa quem relligione sacratum
Intactúmque ferunt. neque enim violare bipenni,
Aut teneros fas est defringere ab arbore ramos,
Plurima quæ læto viridantem gramine subter
Ambit humum, densæque obiectu frondis opacat.
Hîc Satyris locus, & statio tutissima Nymphis,
Quæque alia in syluis, campisque virentibus errant
Numina. quippe illîc passim atque impunè vagantur.
Tum quoque cum sese proles pulcerrima luco

Intulit, &, ſub qua quondam Pater arbore, ſedit:
(Fagus erat patulo ramorum tegmine obumbrans)
Agreſtes venere Dei, Dominúmque potentem,
Et Dominam affati rudibus cecinere Camœnis,
Et cœtu cinxere ſolum, choreáſque dedere,
Frondibus hirſuti arboreis, clauámque gerentes.
Contra autem nemorum cuſtos, nemoríſque ſorores
Tela tenent, arcúmque manu, húmeróque pharetram.
Nec mora: fit ſtrepitus: concurritur: & noua pugnæ
In numerum ſimulacra cient: nunc tela minaces
Obnixíque ferunt: nunc terga fugacia monſtrant
Curſibus impliciti alternis. Sonat auia longè
Silua pedum pulſu, atque offenſæ murmure vocis.
Venit & armipotens Virgo, & Cyllenide natus
Aliger: & longa vatum ſtipante corona
Delius. Hos inter cithara Rhodopeius Orpheus
Perſonat: impulſæ mouere cacumina quercus.
Scena dehinc Regi, Solymæáque bella, necíſque
Virgineæ, & miſeri caſus ſpectatur amantis.
Talibus Henrici ludis, plauſúque penates
Vndique feruebant. nec enim comprendere refert
Omnia, nec fas eſt: non ſi centena ſonarent
Ora mihi. Et verò iuſta plus parte laboris
Iampridem exhauſtum eſt. iuuat inſultaſſe priori
Emeritum campo. Spumantia fræna quadrigis
Detrahere, atque alios liceat ſpectare ruentes.
Quippe opera ad maiora nouus vocat ordine vates,
Extremúmque decus: nec iam puerilia pompæ
Fercula: felicis repetita exordia regni,
Commiſſáſque tibi tandem florentis habenas

Imperij:

Imperij: quæque attonitus ſpectacula vidit
Sequana. Me placido tutum iuuat æquore ferri.
Nec mihi præcipiti pendet lenis orbita cliuo.

Idem.

PANEGYRICVS III.

LODOICO XIII. Francorum & Nauarræ Regi Chriſtianiſſimo

In ſollemni eius inauguratione apud Remos dictus.

QVEM lacrymis affuſa Deum, precibúſque rogabas
Gallia, magnamini heredem genitoris, & ipſo
Maiorem genitore, ſacras regalis ad aras
Stat Puer, innócuum fragranti tinctus oliuo
Ritè caput, patriíque gerens inſignia regni.
Aſpice; quémque tibi nuper crudele parentis
Attulit exitium, aut penitus deterge dolorem,
Aut plauſu ſolare nouo. Sat numinis iræ
Supplicij expenſum eſt: ſatis ô ſatis aſpera rebus
Fata tuis capite vnius, letóque piaſti
Principis: hac vidiſſe tenus contagia noſtri
Criminis, & Superûm liceat ſenſiſſe furorem.
Reddita lux rebus melior. Te prima retexent
Auſpice ſæcla, Puer, triplicis concordia diuæ
Stamina: nil Saturne tuo, vel Iuppiter, æuo
Defuerit. Qualis Carlo ſub Principe quondam
Læta parens, geminâque caput radiata corona
Gentibus imperium latè, pacémque ſubactis

Intulit. aut qualis LODOICO *rege profectas*
Sedibus ipſa ſuis Orientis ad vltima vidit
Innumeras properare acies, quibus vnica molis
Tantæ cura fuit noſtræ monimenta ſalutis
Seruitio eripere, & cultus abolere nefandos.
Tale nouo ſub rege decus tibi, Gallia, talis
Inſtaurandus honos: vel, ſi hæc leuiora putantur,
Nec ſpe digna tua, (ſineret manus improba) qualis
Magnanimo ſub patre fores; talem inclyta tete
Progenies quandoque dabit. quibus ille labantem
Conſiliis opibúſque leuat, cùm triſtis Erinnys
Diſcordes furias, ciuiliáque arma cruenta
Sanguinolenta manu quateret, quáque arte parabat
Imperium fundare, & opes præuertere priſcas,
His minor inſiſtet primùm, & veſtigia Princeps
Greſſibus antè leget patriis impreſſa: ſed olim
Huic matura animum poſtquam firmauerit ætas;
Mox etiam ſuperare volet, longóque relictos
Pòſt ſpatio tranſcendet auos. Sic additus olim
Liligeris cuſtos Genius, tuteláque Franci
Nominis, haud media cœli de plebe, potentis
Caſibus infractus regni, & miſeratus ab alto
Naſcenti puero (norunt námque omnia vates)
Edidit: Euge puer, Diuis puer orte benignis,
Francigenûm decus, imperij ſpes certa, parentis
Vota tui, patriæque annis voluentibus imple.
Gallica proh! quantis tecum ſe gloria ſurgens
Rebus in immenſum attollet! tibi maxima fatis
Debentur: mea ſunt etenim, quæ condita ſeruo
Iampridem, ſolidóque inciſa adamante, nec iram

Fulminis, aut vllas metuentia fata ruinas:
Et memorare libet. Viues, regnúmque perempto
Impoſitum genitore feres, quem perfida letho
Ante diem fraude exceptum, incautúmque futuri
Dextra dabit; neque enim vlla queat vis tendere contrà,
Nec conferre gradum, vel aperto vincere marte.
Sic immota ferunt ſummi decreta tonantis:
Nec mutare meum eſt. Clades hæc vnica, regni
Triſte quidem auſpicium: ſed enim meliora ſequentur
Te duce: mox rerum facies mitiſſima, & expers
Fraudis erit, ſceleriſque fides: tibi pace potiri
Secura dabitur: nec vis metuenda, nec hoſtis,
Quem Patris intereà; tuus inde, vbi creuerit ætas,
Finibus arcebit terror. Per te aurea Francis
Sæcula naſcentur; delapſáque ab æthere Virgo
Jam placata gradum mortalibus inferet oris.
Huic pietas comes, & ſyncери gratia cultus,
Relligióque aderit; tetra quæ nocte iacentes
Eriget. vna fides animis, vnùſque colendis
Ritus erit Superis: ponéntque ferocia cæci
Corda homines, & ſponte, Deo impellente, ſequentur.
Nec modò pax regnis, cognatáque tela quieſcent
Ciuili commota tuba: ſed fœdere certo
Finitimos eadem tecum concordia reges
Aſtringet. Non bella vſquam, non rauca ſonabunt
Claſſica; Barbaricos niſi cùm felicibus armis
Victor ages populos, Turcæ armipotentis in auras
Inuectus, Martémque Deo præcunte laceſſes.
Tùm tibi ſigna meæ ſpondent victricia ſortes.
Seu Syriæ petere arua libet, celſámque Damaſcum:

Sæua vbi Titanum ſoboles fluuialibus vndis
Præcipitem quondam fertur merſiſſe Lyæum:
Seu tentare iuuat veteri fundata Seleuco
Oppida, & Antiochi celebres cognomine muros,
Quos depreſſa ſecans rapidus loca lambit Orontes.
Seu pelago impoſitam Tripolim, aut Sidona, Tyrumve,
Siue Palæſtinas iterum properabis ad arces;
Regnáque gentiles olim teſtata triumphos
Barbarico eripies ſceptro: ſeu victor ad auſtrum
Stagna Parætonij penetrans ſeptemflua Nili,
Æmathios longa vaſtabis ſtrage colonos.
Hic Arabas, Medóſque procul, Chaldæáque regna
Terror aget, penitúſque ima tellure repoſtas
Coget ad imperium gentes: ſeu ſole peruſtos
Intrabis Libyæ fines, vbi conſcia noſtræ
Cladis Agenorei ſurgunt rediuiua Tunetis
Mœnia, qua celſæ ſteterant Carthaginis arces
Sede prius: ſeu tu longinqua per æquora vectus,
Threïcium Francis implebis Boſporon armis,
Immaniſque caput Byzantia littora regni
Claſſe petes, diros ſolio detrudere adortus
Ottomanos. macte his olim puer omnibus eſto.
Hæc vbi Francorum cuſtos; fremuere ſecundi
Cælicolæ. Ex illo tantæ ad faſtigia laudis
Fingitur, ac decori venturo accingitur infans.
Excipiunt gremio Charites, regaliáque ora
Componunt, artúſque, & mollia corpora formant.
Adiecêre oculis radios, niueáſque rubenti
Infecere genas oſtro: ſedet ardua celſo
Vertice maieſtas, & quo non dignior orbis

Imperio ſtat fronte decor, fragrantibus Hebe
Ambroſiæ ſuccis, & odoro nectare crines
Sparſit: opes genitrix, ſceptrique inſigne decorum
Contulit. olli acies Mauors, & fortia quondam
Bella manu tractare dedit: néve vtilis expers
Conſilij vis tanta foret, Tritonia mentem
Adiecit, docilémque animum; comes addita fraudis
Neſcia ſimplicitas, & religionis auitæ
Cura vigil, rectique tenax conſtantia. Tali
Obſequio gaudens, pérque hæc cunabula ſeſe
Regia prouexit ſoboles, intérque parentis
Repſit adoratos faſces. Non deneger illum
Sors tulit, æquæua ſed maieſtate profudit
Lux regno, vitæque eadem. Mox altera fratrum
Pignora, ſpémque parens regni eſt enixa ſecundam.
Quos inter patria felix puer indole, cultum
Ingenio ſuperante, rudes haud mollibus annos
Artibus imbuitur. Nihil huic puerilia curæ
Otia; ſed luſus iam tum tractare viriles;
Aut inflare tubas, aut molli ſpicula dextra
Vix tolerante procul iacere, aut caua tympana vtraque
Sollicitare manu, galeámque, ocreáſque nitentes,
Et picturatos ficto thoracas aheno
Induere, aut longa ſimulare in arundine curſus
Cornipedum: modò non falſum, retinente magiſtro,
Exercere equitem, & molles decurrere gyros.
Sæpe manum curuo laſſauit pondere inanis
Fiſtula; ſæpe recens excuſſa glande tepentem
Accepit, famulóque iterum porrexit, & hauſtu
Pulueris horrificum crebro ingeminare fragorem

Iussit. Ab his, nulla non Martis imagine ludens,
Auspiciis celeri tendebat ad ardua gressu.
Ast vbi firmauit se se iam grandior ætas;
Vtque sui compos infantem excussit, & ora
Soluere posse datum est, veterúmque euoluere gesta
Heroum, & laudes patrias; tùm viribus vltrò
Moliri maiora, & non imitabile cœpit
Ante annos agitare decus. Stat laudis auitæ
Exsuperare modum, magnáque cupidine rerum
Æstuat. Haud aliter patriis Massylus in antris
Nondum firma leo, densisque horrentia villis
Colla quatit, tenerísque solum cauat vnguibus, & quam
Nescit adhuc, prædæ impatiens tamen ardet amore.
Aut velut armento in magno proludit inermi
Fronte minax taurus; ventósque lacessit, & ictus
Congeminat; pecoríque præit: sic fortibus ausis
Quanquam impar puer ingentes sub corde fatigat
Curarum fluctus. Quoties, ceu sceptra teneret,
Explorauit opes regni? quo quæque iaceret
Vrbs fundata situ: quo se munimine fines
Imperij tegerent; hominum qui cultus, an armis
Gens experta foret; quibus antè obnoxia regi
Nec temerata fides? tum quo molimine turres,
Oppidáque, & latis incinctas mœnibus arces
Aut quatere, aut duro liceat defendere marte?
Talis erat domito nondum rudis orbe Philippi
Progenies; cùm nil Martémque & inania præter
Bella mouens, iam tùm patrios æquare triumphos
Gestiret, raptósque sibi mœreret honores.
Obstupuêre animis comites; miratus & ipse

Audiit hæc coram Genitor, blandúmque renidens
Scrutari porrò, & simili sermone morari
Sæpius, ac fictæ seriem perquirere pugnæ:
Quæque diu expertus longo collegerat vsu,
Imbuere his tenerum pectus: qua regna tueri
Arte iuuet: quantúmque animo permittere Regem,
Quo frenare modo deceat: clementia tutos
Vt magis excubiis, rigidóque satellite præstet.
Proinde iram regere, & mentis sedare tumultus,
Atque sui dominum esse iubet: componere curas
Præcipites: non quid liceat feciſſe volenti,
Sed quid opus facto, ratióque quid exigat æqui
Respicere. Illecebras fastigia summa nocendi
Mille trahunt secum: quas ni compescat honesti
Certus amor, pereunt generis discrimina, dixit,
Inque feram mutatus abit quicunque potenti
Subnixus solio, nil non pro lege tuetur
Quod placitum est, nec ius vitæ commune tremiscit.
Aspice Romuleæ gentis portenta, domúsque
Dedecus Augustæ, Caios, dirósque Nerones,
Incestúmque senem Capreis procul vrbe repostum.
Adde alios, quos prisca hominum monimenta loquuntur.
Seu Danaos, Italósve iuuat, seu voluere nostros
Annales: prima hinc vitæ dispendia, finem
Quòd nullum posuêre sibi, quáque impetus illos,
Suspicióque ageret præceps, aut cæca libido
Sanguinis, hâc sueti ruere; vt Gangetica tigris,
Marmaricúsque leo, summa vel cuspide strictus
Feruet aper. cape & imperij contraria nostri
His documenta, puer. Nam me quanquam ardua cælo

Æquarit penitùs præclaris gloria factis,
Plus merui pietate tamen, maiórque ſubactos
Laus ſeruaſſe fuit mihi, quàm domuiſſe rebelles.
Sæpe meo infenſos capiti, atque extrema parantes
Eripui letho; nec me certaſſe priorem
Officiis piguit. Sic quos victoria nondum
Fregerat, indomitum verſantes corde furorem,
Peruicit pietas. Superis hæc proxima regem
Conciliat populis virtus. Huic regia proles
Succedes decori, patriáſque imitaberis artes.
Præcipuè Superûm cultus condiſce, Deúmque
Relligionis amans patriæ venerare; nec vnquam
Improba fallaci tentet tua corda veneno
Hæreſis, aut blando nouitas obrepat amictu.
Tuta per antiquum pones veſtigia callem;
Quem magni Heroës, ſæclis melioribus orti,
Vnde genus noſtrum, & veteris primordia regni,
Ingreſſi ſubiere polos, Clodouæus, & acer
Carolus, occiduis latè dominatus in oris.
Quémque animo quondam propiùs, nunc nomine reddis
Borboniæ auctorem ſtirpis, cui templa nepotes
Sollemni de more, piáſque ſacrauimus aras.
Hæc vita ſceptriſque prior ſit cura, colendi
Numinis integritas: ſequere hunc, hunc mentis adora
Sedulus obſequio: cúmque ætheris ardua primum
Conſcendet, rutila diſcuſſis luce tenebris:
Seu cùm præcipitem Titanius, orbe remenſo,
Merſerit Oceano currum; tum ſupplice voto
Æternum ſupera numen; nec feſſa repones
Membra priùs ſtratis, nec matutinus abibis,

Quàm

Quàm tua placando diduxeris ora tonanti.
Rex etenim hic, regúmque potens, quos ille retectis
Protegit insidiis, inimicáque tela coërcet.
Proxima cælicolûm tibi sit reuerentia, templis
Quos colimus, meritósque pij mactamus honores.
Reginæ antè alios superûm, quæ sola tonantis
Progeniem, nullo amplexu temerata, profudit.
Hæc cælo, terrisque præest; natúmque potentem
Conciliat generi, & cælestes temperat iras.
Præterea hoc vnum memori mihi pectore conde,
Vrbis vt æternæ rectorem, orbisque magistrum,
Cui clauis commissa poli est, qui iura fideli
Describit populo, ritu submissus auito,
Mente colas placida; nec tu huic parere recusa.
Hoc de te regni decus, hoc exemplà parentis,
Regibus hoc Francis partum cognomen, & illo
Vindice transfusum meruit. sic dicimur esse
Christicolæ insignes, postquam Mauortia Roma
Per nostros defensa Duces, dum perfidus hostis
Imminet exitio, Petrique abolere tribunal
Romulea cum gente parat: tu parta tuere
Nomina, & in seros maneant transmissa nepotes.
Talia longæuus gnato præceperat Heros.
Vtque animo hærerent penitùs commissa fideli,
Rectores puero interea, rerúmque magistros
Præficit, atque æui mandat florentis habenas,
Inque operis partem ipse venit. Sed enim aspera tantum
Fata tibi, heu nimiùm Gallis nimium, aspera, Princeps!
Inuidere ducem: quanquàm sub matre verenda
Par prope tutela est: vidúi quæ coniuge adempto.

Iura tori retinens, communia pignora ſexu
Auſa ſuo grauiora fouet: nec pondere feſſa,
Curarum nec mole minor, regalia ſceptra
Temperat, officiúmque pari moderamine vtrumque
Suſtinet. Idæo talis productus ab antro
Iuppiter, æthereáque recèns in ſede locatus
Turrita ſub matre fuit, cùm fulmina nondum
Torqueret; nondum cœli conuexa rotata
Cæſarie quateret, clauóque aſſueſceret orbis.
Haud ſecus extincto Babylonia coniuge mater
Imbelli pro ſtirpe, virum mentita, ſuperbis
Præfuit Aſſyriis. Latio ſic inclyta natum
Imperio Mammæa parens puerilibus annis
Extulit. Haud minor eſt annalibus eruta noſtris
Fama tuæ, Diuûm conſors LODOICE, *parentis.*
Quis Blancam, vácuóſque viri poſt funera neſcit
Seruatos pariter thalamos? quis ſceptra tenellæ
In ſobolis ſuſcepta vicem? Quin grandior Heros,
Cùm Libycos fines, Eoáque milite multo
Littora vaſtaret; tum protinus omnia matris
Subdidit arbitrio, regníſque præeſſe relictis
Hanc voluit. Sed quid fruſtra longinqua retexo?
Non audita modò, ac veteri iam cognita fama,
Sed nuper ſpectata loquar. Poſt fata perempti
Coniugis, hæc regum genitrix, tot freta potentum
Agmine natorum, toties rectore carenti
Impoſita eſt regno mulier, commiſſáque Gallis
Iura dedit populis, illo de ſanguine creta,
Cui ſupplere datum eſt Francæ regalia genti
Pignora, dum regnis ſoboles dominatur Hetruſcis

Altera. Sic felix numeroſa prole virago
Borbonios Medicæa, lares, populúmque potentem
Materna ditione reget: nec ſecius illa
Fretus ope, optatum Princeps adoleſcet in ævum,
Sed fato potiore: Dei ſic numina verſant.
Quippe vbi contigerit fortis matura iuuentæ
Tempora, præclaros illa de ſtirpe nepotes
Læta parens gremio excipiet, natóſque videbit
Creſcere natorum, per quos ſe Gallica pubes
Auſpiciis animoſa ducum, ſtudióque, ſub auras
Attollet tantorum. ô ſi hæc mihi tempora fas ſit
Aſpicere! ô ſi pars vitæ tam longa ſuperſit,
Vt te, magne Puer, tuáque olim ingentia facta
Æterno liceat venturis prodere ſæclis
Carmine! nulla tuum præter mea pagina nomen
Præſcriptura ſibi eſt. Nunc pro te vota ſecundis
Committam Superis; votis damnate precantem
Cœlicolæ: date ſurgenti felicia regno
Auſpicia, atque æui famam cumulate prioris.
Vt proauos virtute puer, virtute parentem,
Hunc & ſorte olim ſuperet: néve vlla potentis
Fortuna imperij ſpes, aut inimica refutent
Conſilia: at ſecum paribus conſurgere regna
Greſſibus aſpiciat. tandémque vbi longa ſenectæ
Tempora contigerit, titulóſque impleuerit omnes,
Matura iam prole patrem, pater ipſe, beati
Regni acies inter videat, cœlóque fruatur.

Idem.

Ad Christianiſſ. Regem
LVDOVICVM XIII.

De ſuſcepta Regni adminiſtratione

ODE I.

SIc *Patre dignam magnanimo decet*
Regnare prolem ſic Superûm genus
De ſtirpe longinquâ trahentem
Digna ſuis agitare Diuis.
Succede regni legitimis tener
Curis: nec alti pectoris impetus
Prageſtientes apta nondum
Imperio remoretur ætas.
Flos ille primæ pubis, & inſolens
Laboris æuum, ſit reliquis licet
Imbelle, certantéſque iniquo
Pondere vis oneroſa frangat:
In te morantes firmior indoles
Compenſat annos, atque animi vigor:
Cunctantis & robur iuuentæ
Anteuolat leuiore penna.
Iam te parenti, te proauis parem.
Virilis ardor mentis, & efficax
Attollit; inuictique proles
Principis haud dubitanda ſurgis.
Sic arce paruum ſidereâ Iouem
Stetiſſe narrant, ſic prope puberem

A matre Turrita relictas
Cœlicolum tenuisse habenas.
Nondum hic caminis ducta Cyclopeis
Torquere norata fulmina: nec face
Seu montis eductum cacumen;
Seu veteres populare quercus:
Cùm iura rebus haud leuis arbiter,
Legésque Diuis poneret; & graues
Mundi laborantis ruinas
Exciperet subeunte collo.
Talis Philippi progenies, Iouis
Mentita stirpem: quem patria super
Virtute mœrentem resoluit
In lacrymas animosus ardor.
Aut ille gentis Borboniæ sator,
Cœlo receptus: cuius ad vltimos
Audita Maurorum recessus
Arma, Paratoniúmque Nilum.
Videre talem hunc sceptra, puertiâ
Florente functum. quem tibi nunc genus
Et nomen, & virtus: & olim
Martia vis, animúsque iunget.
Quem tu potenti (si modo longior
Aspiret ætas) imperio statum!
Quæ iura! quos cultus sacrisque
Adiicies pius, & profanis!
O! si secundis hæc liceat mihi
Videre Diuis tempora; quos domum
Vel pace deductos; vel armis,
Militiáque canam triumphos!

AD EVNDEM,
FRANCIÆ PROSOPOPOEIA.

ODE II.

CONTRACTA *rugis ora pererderat*
Viuax senectus: & macies cutem
Deformis, hærentésque nudo
Osse tenus vitiabat artus.
Iam me sepulcro pallidus arbiter
Damnarat Orci. iam grauidum caput
Vrgebat, & sacrum notarat
Persephone sibi furua crinem.
At nunc, secunda noster vt alite
Regnis alumnus Borbonidum subiit,
Nouisque maturus cadentem
Auspiciis celebrauit annum;
Mutata rursum: ceu spolio nitet
Exuta serpens, aut ope Colchidis
Herbísque, cantúque priorem
In speciem recreatus Æson:
Verno inuentæ flore decentiùs
Tollam propinquum sideribus caput;
Longíque primæuos honores
Ponè dabunt spatiis secundi.
Vt vitis almæ crescit ad arboris
Adiuncta ramos: aut hederæ coma
Frondentis ad summum, maritæ
More subit vegetata stirpis.

Sic me ſub auras applicitam euehet,
Creſcétque mecum: quem pietas mea
Tantiſper innixum fouebit,
Mox paribus refouenda curis.
Hoc me ſecundi munere grandior
Donabit æui: ſeráque protinùs
Poſt fata ſuccreſcens nepotum
Perpetuus cumulabit ordo.
Quos lecta tantis coniugiis dabit
Ibera conſors, Borbonij nurus
Herois, antiquis parentum
A proauis generoſa virgo.
Sed patris illos tardius in vicem
Submittat æquus Cælicolum fauor:
Longóſque florentem per annos
Te videant (LODOICE) Franci.
O! te (quod vſquam numinis eſt precor)
Non fata terris inuideant prius,
Magno redonandum parenti,
Quàm titulos volites per omnes:
Quàm priſca poſt te ſæcla reliqueris;
Regéſque Francos, ſeu proauos iuuat;
Seu ſtirpe non vna creatos,
Imperio ſuperare & armis.
Qui ſæuientes, turbinis in modum,
Actique cœlo fulminis impetu,
Fregere Mauros; vt remenſo
Terga darent fugitiua ponto,
Vel ſtrata campis corpora: quæ manu
Vterque Carlus; ceu pecudum greges;

Furente proſtrauit, ferinis
Rictibus alitibúſque prædam:
Auſos ab Afro litore Bæticis
Vndare campis, clauſtráque gentibus
Obiecta moliri, nec æquo
Hercule, nec ſuperis ſecundis;
Queis ſceptra curæ. quos tibi proſpero
Regni ſub ortus, omine præſtites,
Cultúque donandos viciſſim
Vnanimes cecinere Parcæ.

Idem.

VOTVM DEÆ THEMIDI SIVE Iuſtitiæ, pro felici Regni adminiſtratione, & ſolennium Comitiorum ſucceſſu.

ODE III.

ANTIQVA *mâgni progenies Patris,*
Conſulta legum Diua; quibus Polum
Tractúſque terrarum coërces,
Et liquidi vaga regna ponti,
Tum quæ trifauci tergeminus canis
Rictu fatigat, numine quâ tuo
Deſcripta flagrantes per æuum
Pœna ſuos cruciat nocentes.
Te ſeu priores fatidicam Themin
Dixere, ſeu quæ terrigenis Polum
Aſtræa conſcendit relictis:
Siue Dicen meliùs locuti:

Placata

Placata regni consiliis ades,
Præsente regem numine temperans,
Matrémque, consessúsque lapsis
Rebus in auxilium paratos.
Te pax, amórque, te pudor, & fides,
Et lex sequuntur, gratáque faustitas:
Vtcunque suspensa potentem
Lance præis onerata dextram.
At bella, rixæque, & furiæ procul;
Suisque gaudens addere non sua
Effræna votorum cupido
Antè volat fugiente gressu.
Tu scepta firmas. tu gregibus ducem,
Gregésque læto concilias duci.
Hoc iuris: hunc æquus triumphum
Quippe tibi genitor sacrauit;
Ex quo rebellis turba sequacibus
Armata flammis in Superûm genus
Ipsúmque, quis credat? Tonantem
Ausa graues agitare pugnas.
Magnum illa diuis intulerat metum,
Bellum nefásque Lucifero ciens
Ductore. Quos contra fideles
Aligerum subiêre turmæ,
Delecta forti Signifero manus;
Non illa ferro, non facibus minax:
Latéque confertos in hostes
Tela crucis potiora torquens.
Sed concitato Marte ferocior
Non obstinatos antè acies gradus

Damnata Cocyto retorſit,
Æthere præcipitans ab alto;
Quam te, Alma, tandem ſupplice perfidos
Vindex triſulco fulmine contudit
Regnator, inuoluítque flamma, &
Tartareo Phlegetonte clauſit.
Hos flamma. at illos fluctus, & æquoris
Vnda æſtuantis, te ſcelerum arbitra
Damnante, correptos profundo
Hauſit, ad imperium tonantis.
Cum certa mundi fœdera diſcidit
Irata Tethys: cúmque hominum genus,
Quacumque terrarum refuſa,
Et pluuio Ioue fœta, merſit.
Tum ſecta roſtris nubila cærulæ
Strinxêre puppes. montibus obrutis
Iamiámque ſurgentes in altum
Aſtra ferunt timuiſſe fluctus.
Sic te ſceleſtos vindice criminum
Pœnæ inſequuntur. Nec minus in pios
Tropenſa, ſceptrorum potentes
Aſſeris, imperióque firmas.
Talem precamur tu, Dea, ſoſpites
Franci columnam nominis, & decus,
Ne ſæua tempeſtas labantem
Turbine concutiat caduco.

Idem.

ECCLESIA CHRISTIANISSIMI titulum offert LVDOVICO Regi.

ODE IV.

PRINCEPS *auorum ſanguine ab vltimo*
Æquande Diuis; quod proprium eſt decus,
Sceptriſque Francorum receptis
Nobilius, tibi Diua reddo.
Sarranus illos à populo nitor
Secernat, auro pictus, & igneo
Ardore gemmarum coruſcans.
Hos latebris celebret repoſtum
Quodcumque primo Sole, vel vltimo
Afflata tellus viſceribus parit.
Hos mille diſcurrens per artes;
Nec ſatiata iuuet libido.
Hos fulminantis robore dexteræ
Perruptus orbis: ſiue acies retrò
Conuerſa camporum patenti
Æquore, ſeu pelago carinæ.
Vtcunque claros militia duces
Maiore veſtrum nomen adorea
Obſcurat, exemptúmque vulgo
Cœtibus inſeritur Deorum:
Vos prima Reges, vos pietas facit:
Cœlique gaudens obſequiis amor.
Dum Francus hoc vno laboret
Eſſe minor, ſuperabit omnes.

Hinc magna terris nomina: ſed polo
Maiora, conſtans obtinuit fides.
Hinc gente de Chriſtum profeſſa
EXIMII *meruere dici.*
Quorum ſecundis non ſemel obrutam
Me me ſub auras viribus extuli:
Cùm ventus, hibernáque feſſum
Vnda caput premeret procella.
Sic Carlus: & quem nomine tu refers:
Sic ipſe nuper promeruit parens;
Cùm iura maiorum, ducémque
Chriſticolum rediuiuus audit.
Hic primus illi ſceptra aditus dedit.
Huius tenacem fœderis exitus
Cœlo reponendum beauit,
Heu! nimium mihi luctuoſus.
Proinde hoc parentis, hoc generis cape:
Hoc non eodem ſanguine principum
Cognomen, & partis memento
Aſtruere haud leuiora rebus.

Idem.

AD EVNDEM LVDOVICVM DE POMPA REGIA.

ODE V.

PRIMA *hæc ouantis pompa fauentibus*
Deducta Muſis, & placidus labor

Bis térque plaudentes ſubegit
Caſtalios iterare fontes.
Dum cædis expers, nec lacrymabilis
Vlli, per vrbes Francigenum extulit
Myrto coronatum triumphus,
Pace tuos celebrante greſſus.
Maiora poſthac præmia fortior,
Æuíque compos, nec leuiter tibi
Vel parta, vel ſeris canenda
Adiicies, LODOICE, *ſæclis.*
Seu regna ſæuis acer ab hoſtibus
Tutanda ſumes: ſeu libet exterum
Vbique terrarum, mariſve,
Cum ſuperis, agitare martem.
Cum vela Francis claſſibus explicans
Bis ſparſa noſtris arua cruoribus,
Nilique ſtagnantis reuiſes:
Et Tyriis habitata Pœnis.
Queis non inultos litoribus diu
Errare Mauros, nec proauum ſines
Iactare captiuum, vel atra
Peſte acies, vitióque cœli,
Non Marte victas. Hinc nitido crucem
Signata tergo te duce protinus
Recuſa diffinget iuuentus
In Syrios, Arabáſque tela.
Tunc & decorum puluere barbaro,
Et cæde corpus, non ſine laurea,
Curru reportantes Camœnæ
Excipient operoſiores.

Proin tu fouendis, quarum opus exigas,
Assuesce Diuis: ac Sociûm vice
Audi salutantes benigna
Fronte pius, patrióque vultu.

Idem.

CORONA REGIA.

VOTVM.

IN LVDOVICI XIII.

inauguratione Remis celebrata.

QVOD bissena modò procerum inter sacra coronam
Turba tuo, Princeps, imposuit capiti:
Impensum hoc regno decus est, próque omnibus ille
Redditus in sacro vertice sedit honos.
Nunc aliud puer à pueris cape stemma, lapillis
De totidem, primum quot posuere manus.

Vnio. Regia Maiestas.

Quondam hic gemmarum Princeps, cui nomen ab vno,
Sceptra dari in plures regia posse negat.

Chrysolithus. Pietas.

Prima decet regem pietas: pietatis amorem
Nobilis aurato gemma colore refert.

Topazius. Prudentia.

Inuentu haud facilis, limam dum sustinet vnus,
Esse animi prudens qua potes arte, docet.

Sardius. Iustitia.

Iustitiæ est terrere malos, ceu luce potenti
Dicitur instantes pellere Sarda feras.

Adamas. Fortitudo.

Pectoris indomitum ſolido ex Adamante vigorem
Diſce, Puer: vanos excutit ille metus.

Amethyſtus. Temperantia.

Quæ tu iura aliis, eadem tibi pone, modúmque,
Sobrius in vino quem iubet eſſe lapis.

Alectoria. Virtus bellica.

Bellica pugnacem faciet te gemma: Miloni,
Si qua fides, illinc víſque, animúſque fuit.

Carbunculus. Vigilantia.

Nocte diéque micans Carbunculus, otia regem
Carpere, nec tota nocte iacere ſinit.

Smaragdus. Liberalitas.

Luce virens grata complet vicina Smaragdus.
Sic agedum largas ſparge benignus opes.

Achates. Morborum curatio.

Cui potiùs Franco medicus donetur Achates
Principe: cui morbos ſoluere voce datum eſt?

Sapphirus. Regę dignæ artes.

Dum tener eſt animus varias diſcurre per artes;
Vt varias reddit gemmula picta notas.

Iaſpis. Amor ſuorum.

Conciliare animos viridi quæ fertur Iaſpis
Lumine, quàm populi patribus apta venit!

Idem.

DE OLEO COELITVS INVNGENDIS Franciæ Regibus missso.

COELITVS emissis, cœlo post fata locandis,
Regibus est lapsus cœlitus iste liquor.
Si dubitas, tinctum deinceps Regem aspice; quantus
Fulgeat hinc, quàm se protinus ore ferat:
Quantum animo decus & teneris accreuerit annis
Roboris: vt dio ferueat igne fides:
Vt nil iam vulgare sonet, nec laudis auitæ
Degener, imperij pectore vincat opes:
Hoc vsu liquor, his præstet si dotibus; an non
Se quoquè cœlestem, dum facit, esse probat?

Idem.

DE SOLENNIBVS A LVDOVICO Rege celebratis regni Comitiis Elegia.

ILLE ouium pastore satus, qui sceptra gubernans
Fatidicum sacro pectine lusit opus;
Impositus regno Salomon, cœlestia postquam
Munera, & afflati pectoris hausit opes;
Protinus à legum, & iuris moderamine cœpit
Imperium: his Regem gessit ab auspiciis.
Cùm prolem ambiguam, furtiuáque pignora matri
Reddidit, & stricto prodidit ense dolos.
Hunc morem, LODOICE, atque hæc exempla secutus
Gallica pro forti sceptra parente subis.

Quippe

Quippe tibi à pueris olim deſueta nefandæ
Primus erat linguæ ponere frena labor.
Impiáque in ſuperos populi maledicta furentis
Vulnificus ſæuo terruit igne chalybs.
Quem bonus, at ſceleri non exorabilis, auctor
Sanguinis in tales ſtrinxerat antè reos.
Si qua fides (neque enim cari tam læta nepotis
Auſpicia, & mores hunc latuere ſui)
Ille tuus magni proauus poſt funera regis,
Subſidium dubiis rebus opémque parans,
Dum patrias ſedes, & prima reuiſere regna
Sidereo rurſum lapſus ab axe cupit.
Hîc vbi Borbonidum ſtatio eſt: quâ libra morantem
Excipiens medio contrahit orbe diem.
Hos aditus regni, prima hæc exordia cernens,
Subſtitit: &, noſtras impleat iſte vices.
Scilicet (adiecit) dabitur me præſide vita
Longior, exhauſto ſtamine ducta tenus.
Dixerat. Indigetes eadem ſententia Francos
(Plurima quæ cœlo turba recepta) mouet.
Vota fides ſequitur. paribus ſtirps Regia curis
Ardet in antiquum tollere ſceptra decus.
Nunc quoque, cum ſpatiis ſurgens maioribus ætas
Temperat admotas ad ſua frena manus;
Magna mouens animo, rerum ad tutamina robur
Conſilij, lectos cogit in Vrbe viros.
Vndique concurrunt: ſeu quos hinc montibus altis;
Hinc gemino tutus gurgite claudit Iber.
Quóſque rapax mittit Rhodanus: quos vomere ſciſſa
Phocaico: Ligurum terra vel Alpe rigens.

Quos Salyum, Allobrogúmque vrbes, fundatáque Planco
Mœnia, vel tacito flumine lentus Arar.
Quà Liger in zephyros gelida curuatus ab Arcto.
Quà citus abrupto fonte Garumna ruit.
Tectosages, lætique freto propiore Vibisci:
Et quos Santonicæ Tethyos vnda premit.
His super Aruernus, Lemouixque, & Pictus vterque:
Diues & inscriptæ vellere Cubus ouis.
Misit & ingenti sinuata Britannia flexu.
Versáque in Arctoum Neustrias ora latus.
Æduus hinc, & Belga subit: quique accolit vndas
Phrudi tuas illinc, Matrona & inde tuas.
Vndique delectos proceres Tegeaticus vrget
Aliger, & Francis conciliata Themis.
Nec minùs Aonidum ductor. tum si qua futuri
Præscia, consiliis numina adesse solent;
Intersunt pariter, terniſque operata laborant
Ordinibus. totidem turba vocata facit.
Credita sacrorum his pietas: hos inclyta tollit
Nobilitas, armis parta, vel acta retrò.
Tertia coniungunt populi submissa minoris
Agmina; quos illi Marte sacrisque fouent.
Tum regni secreta cohors, consultáque legum
Pectora: quorum olim (nota, sed ampla loquar)
Pro tot Nestoribus, Danaum tibi ductor, vt illo
Tempore vixissent, vel satis vnus erat.
In medio Henrici soboles cum matre verenda
Assidet: & proauis iura reperta nouat.
Quæque animo quondam, atque vsu maturior ætas
Adstruat inceptis vberiora docet.

Macte modo amborum cultu, Francósque paternis
Moribus, at fato commodiore rege.
Et quæ concordes animis tua iussa morantur,
Partibus imperij fac rata vota tribus.

Idem.

AD LVDOVICVM XIII.

De Fixensibus Scholis.

LÆTA suum per me tibi cor, LODOICE, animúmque
Dat Schola Borbonij mitis alumna laris.
Ne parui facias; hanc de tot sedibus vnam
Rex voluit CORDIS *maximus esse sui.*
Cætera si certent, dono superabimus isto,
Cùm tantum in nostro COR *tibi corde damus.*

Idem.

IN NATALEM LVDOVICI REGIS,

qui sub Libræ incunte signo natus est.

LIBRA tuos, Princeps, iniens sibi vendicat ortus,
Cui latus hinc Virgo, Scorpius inde tegit;
Illa tamen propior: medio sic sidere natus
Plus tribuis paci, nec tamen arma times.

Idem.

AD LVDOVICVM XIII: ODE DE CAPTA RVPELLA.

POST *longa ſæuis bella cruoribus*
Confecta, & vrbes excidio datas,
Latéque Romanis ſubacta
Faſcibus, Imperióque regna,

Auro coruſci Romulidum duces
Egêre celſos in Capitolium
Currus, triumphaléſque lauros
In gremio poſuere diuûm.

Ibat catenis colla trahentibus,
Reducta tergo brachia ſuſtinens
Captiua victoris ſuperbi
Ante rotas peditum caterua:

Queis ſceptra belli extorſerat impotens
Fortuna, vel quos militiæ decus
Hoſtilis ingenti paratos
Altiûs extulerat ruinæ.

Tum quæ refractis oppida mœnibus,
Strataque turres ariete ceſſerant,
Impacta ſeu claſſis profundo,
Milke aderant ſimulata formis.

Hinc luce fulgens miles ahenea,
Inter ſtrepentum murmura cornuum,
Non elaborato canebat
Pone ſequens Ducis arma verſu.

Hoc ſi priorum more Quiritium
Iuuet triumphum ducere; quis tuo,
Flos ſceptra geſtantum! fuiſſet
Dignior hac volitare pompa:

Quem tu recenti munere Cœlitum
Fuſis cruento marte rebellibus,
Et vrbis inuictæ potitus
Mœnibus, in patriam reportas?

Hoc iuſtiorem nulla nepotibus
Tranſmiſit ætas: nec cupido magis
Ardore ſpectantum, ducíſque
Auſpicio melioris actum.

Seu de Latinis, ſeu Danais iuuet
Proferre faſtis, qui domito decus
Ab hoſte, victuráſque ſeris
Temporibus peperêre palmas.

Tot vna regum facta potentium:
Tot gentium ausus æquat adorea,
Aut vincit: ô Francorum, & orbis
Delitiæ, columénque princeps!

Nam quæ Deorum condita nobili
Sudore quondam mœniâ; vel manu
Educta Cyclopum, laborent
Santonicam æquiparare Rupem?

Horrenda quisquis robora perfidæ
Ignorat vrbis; hic pelagi procul
Per cuncta, terrarúmque nescit
Sparsa, loqui properante famâ.

Adde infidelis non semel impetus
Fractos Britanni, castráque Raicis
Immissa nequicquam salinis
Strage virûm populata turpi.

Exinde iactis molibus improbum
Producta in hostem claustra, quibus furor
Compressus, elusæque classes
Rupis in auxilium citatæ.

Hæc bellicoso fercula principi
Aptaret ætas prisca. tibi hoc magè
Virtus honoratum frequentes
Destinat in populos triumphum.

Non vincta ferro colla trahis ducum.
At monstra, pestésque exitio satas
Regni, catenatámque circùm
Perfidiam, sociásque raptas

Diras, & atris HÆRESIN *anguibus*
Flammísque cinctam: quam rabidus FVROR,
BELLVMQVE, *pallentíque* LETO
Juncta FAMES *mediam coërcent.*

Non ficta murorum effigies præit.
Sed de refectis Cælicolûm ædibus,
Arísque te Christum professæ
Gentis honor comitatus ambit.

Nunc prosequentum quò rudis agminum
Pompam hanc honestet Musa: quod vnicum
Restabat: oblato iuuentus
Hoc tibi ritè parat TRIVMPHO.

Idem.

DE LVDOVICI XIII REBVS AD RVPELLAM GESTIS PANEGYRICVM CARMEN.

PROGENIEM *Diuûm Heroas, vel numina cælo*
Lapsa, laborantes certis inuisere terras
Temporibus, fictáque hominum sub imagine ferri,
Græcia iactauit quondam. seu monstra sub auras
Irata ediderat tellus. seu viribus actos
Sub iuga mortales premerent impune Tyranni.
Hæc si fama fidem poterat meruisse: nec vlla
Justiùs aduentúmque Dei, LODOICE, *manúmque*
Sospitis optaret, quàm quæ modò voluitur ætas:
Nec qui Francigenis posset Deus ille videri,
Æternúmque coli, fuerat te dignior alter.
Hunc tua iamdudum de te tibi Gallia sensum
Debet: in hunc voces, atque ora fauentia soluit
Tempore ab hoc, faustis quo per sollemnia regnum
Cepisti auspiciis, rerum ad fastigia ductus.
Quippe tibi haud vllus meritis vacat, optime regum,
Ex illo, decorique locus. Sed enim vltima demum
Facta tibi istius speciem modò numinis implent,
Illa ego, post superos, quæ te, maiora secutus,
Auspice venturis post sera nepotibus edam

Sæcula

Sæcula quamprimùm, nec longa exorsa morabor.
Jam propè centenos repetitis flexibus orbes
Explicuit Titan, ex quo Phlegethonte sub imo
Obscura fata nocte, Deóque inuisa propago,
Francigenûm in pestem diris accincta venenis
Hæresis incubuit regno, non serpere primùm
Ausa palam, & suspensa metu vestigia librans:
Mox caput attollens, atque ardua colla, per urbes
Grassari, & patriis iactare incendia templis;
Proturbare domos, raptásque à sedibus arces
Vertere; ciuili populos committere ferro.
Quicquid id est, quod quisque oculis spectasse malorum,
Vel sibi longæuos meminit ceciniſſe parentes.
Quorum semirutas inter vestigia moles
Nunc quoque pòst tanto videas. Quid ego impia bella,
Oppositásque acies, coniuratósque potentis
Exitium in regni proceres, tot strata per agros
Agmina utrimque ducum, & manantes sanguine campos
Aut gemere, aut longo coner comprendere versu?
Atque ea ne raptim, ac celeri transmissa putares
Turbine: qualis agris collecta superuenit imbris,
Grandinis aut fœdæ, cælo incumbente, procella:
Vel præceps per saxa ruit decliuia torrens,
Pestis utrumque satis. Non sic manus improba Franci
Nominis excidium, & sceptri molita, furorem
Præcipiti effudit saltu, ac sublapsa recessit.
Quin ipso regni in gremio noua condere regna,
Ceu iam nulla forent, stabilémque orientis habere
Imperij sedem, captiua per oppida certant,
Pignoris extorta in speciem, ac tutamina ficti

Fida metus. Hæc aduersis tibi, Francia, nacti
Numinibus, quamuis opere haud infirma, sitúque,
Acrius obnixi, vallóque & molibus arcent.
Præcipuè tamen, & cunctis magis vrbibus vnam
Delegere caput rerum, quam Santonis æstus
Alluit Oceani, Rupem dixere minorem
Indigenæ. non illa quidem vetere inclita famâ,
Nec priscis fundata opibus, quo tempore fortes
Crinigeri primâ Francos de stirpe regebant.
Hùnc, vt Aquitanos fines, & litora iuxta
Fortè citis euecta superuolitauerat alis
Contemplata locum pestis Cocytia, sedem
Destinat, & summo rupis de vertice signum
Ære cauo increpitans, vocat agmina mista nocentum.
Conueniunt quibus acta fugam male vita, famésque
Suaserat, aut primos nouitas blandita sub ortus
Sacrilegum ad cultum, furtiúque sacra trahebat
Qui licitas olim victum exercere per artes
Insoliti, rapto, aut alienis pascere ventrem
Assuerant epulis, turpe, & sine nomine vulgus.
Hûc vbi diuersis collecti ex vrbibus omnes
Constituêre larem certum, molimine longo
Instaurant arces, & propugnacula firmant,
Mœniáque attollunt, fossíque ingentibus vrbem,
Altius exhausta circum tellure, coronant.
Nulla quies; non hîc operæ, neque sumptibus vllis
Parcitur. assistunt furiæ, stimulíque lacessunt.
Nec verò ille suis caruit successibus ardor.
Vidi ego, qui longo diuersa per æquora cursu,
Terrarúmque plagas omnes, atque intima regna

Errarat, ſtudio relegens quæcumque per orbem
Artifici vallata manu, & fortißima ſurgunt
Oppida, quæ conſtans tollit ſuper æthera rumor.
At nihil vſquam operis viſum auditúmque ferebat,
Quod non Santonicæ tantum decederet arci,
Quantum humiles cliui, elatâ ſuper Alpe, recumbunt.
Prædonum his confiſa manus, duratáque bello,
Quod non auſa nefas? quas non contemnere leges?
Non illi rerum dominos, non publica regni
Iura, magiſtratúſque pati. Sua cuique libido
Fas erat. Vt quondam Siculis immane ſub antris
Concilium indociles ſceptri Cyclopes habebant.
Quorum vtinam ad mores, & ſola exempla ſurperbos
Exigerent faſtus; ſuáque intra ſepta repreſſi
Non hæc perniciem ad regni contagia ſenſim
Porrigerent! vicina lues ceu corpora primô
Arripit: inde alios lethali interficit hauſtu.
Atque ea per Francos iamdudum indigna videri,
Nec populos mouêre minus, quàm ſceptra tenentes.
Quippe genus regi addictum, & tractabile Franci
Præ cunctis, carique minùs genitoris amantes,
Quàm ducis, externæ niſi quem conſortia gentis
Inficiant, patrióſque vetent inoleſcere mores.
Ergo armis, opibúſque ambo reſcindere adorti
Dedecus hoc regni, labémque in maius ituram
Exitium. at iuſtis conatibus, heu! quod iniquum
Numen, & offenſi grauis inclementia cæli
Talia verſantum medios intercipit auſus?
Obſeßi haud potuere capi. Nihil amplius actum
Tot rerum impenſis, quàm ſe vt regalibus armis

Esse pares, tanto experti discrimine, nossent.
Sed quid ego aduersos superos, neque numina nostris
Rebus amica queror? non hac onerare priores
Inuidia, iratisque pium est adscribere diuis.
Quin potiùs nondum his cœptis fatale sub auras
Isse genus regum, ac decus immortale fatendum est.
Hæc tibi sors, LODOICE, *tuisque ingentibus olim*
Debita erat titulis. sic fata immota ferebant:
Non quæ ficta iubent veterum ludibria vatum
Parcarum teretes per stamina voluere fusos:
Neu vis illa Deûm, venturáque deterat ætas,
Aut silice in duro, duro aut adamante recondunt.
Sed quæ magna Dei mens, haud ignara futuri,
Fixit ab æterno tardis orientia sæclis.
Hæc te subsidio Francis optantibus vltrò
Indulsêre fatum ætheria de stirpe, piíque
Nominis heredem, iam spe melioris abacta
Temporis: vt latè pacatis finibus arces
Prædonum excuteres manibus, populósque rebelles
Subiuga, non armis magis, quàm pietate, Deíque,
Quem tu circunfers comitem, terrore vocares.
Nam Deus his cœptis aderat Deus. hic tua, Princeps,
Pectora iampridem, & castæ penetralia mentis
Occupat, innocuos gaudens habitare recessus.
Hic te consiliis, hic te virtute, manúque
Instruit, hic dubiis prohibet diffidere rebus:
Præsentésque sacris animos afflatibus auget.
Talibus affixum curis, tum longa precando
Tempora ducentem, per tot commercia summi
Numinis, arcanos puro quis pectore sensus

Hinc haurire neget, rebúſque aptare gerendis,
Inſtinctúque regi Superum? Cui credere cordi
Non erit; ille Numæ potiùs cum coniuge Nympha
Valle in Aricina, nemora inter denſa, receſſus
Audiat. aut ſi quem Dictæo iactat in antro
Neſcia gens falſi, leges & iura parantem,
Conſediſſe, nouémque Ioui conſueſſe per annos.
At non ambiguis ſuperum hæc oracula conſtant
Indiciis. Ac te monitis cæleſtibus actum
Has martis tentaſſe vices, & in arma ruiſſe,
Euentu, LODOICE, *doces. Non prima retexam*
Caſtra, Pyrenæi Benearnicus accola ſaltus
Quæ timuit, veniámque vltro ſine marte popoſcit.
Mox iiſdem auſpiciis, & eodem fulmine belli
Strauit Aquitanas felix exercitus arces,
Quò ſe proripiens, campo deceſſerat agmen,
Nec minùs in vaſtis Rieſarum oppreſſus arenis
Improuiſa acie, fuſúſque tacebitur hoſtis.
Longa operum ambages: quanquam hæc ad bella cientem
Haud dubiè teſtata Deûm. tamen vltima produnt
Clarius, hortatu diuûm tua tendere ſigna
Quô pietas rapit, aut titubantis gloria regni.
Quis cum Raiaca pulſis ſtatione Britannis
Santonicam forti circumdare milite Rupem,
Aggeribus iactis, terra, pelagóque parares,
Attonitus primùm tantis non horruit auſis?
Ipſi adeò trepidare duces, ipſique ſacrati
Concilij proceres, & prouida pectora, motu
Hærere ancipiti. nec verò impunè tot annos
Detrectare iugum, dominique illudere ſceptris

Rupellam optabant; tamen haud properanda fateri
Obſidia, exhauſtis crebros iam martis in vſus
Regni opibus, populiſque graui ſub pondere feßis.
Vt cùm præcipiti in ſuprema pericula morbo
Pæoniis æger ſuccis, atque arte magiſtra
Ereptus, maciéque & lenta tabe fatiſcit.
Acer in incepto, reliquis cunctantibus, vnus
Perſtabat iuuenis; ſtimuliſque haud mollibus intùs
Vrgeri ſe faſſus, in hæc diſcrimina ſecum
Audentes rapit, atque inimica ad mœnia ducit.
Inuadunt, operique manus, atque arma volentes
Expediunt. Tùm, quâ tellus patet, aggere Rupem
Caſtrorum, & foßâ, densâ ſimul arce coronant.
Hæc ſuper incluſi muris ſpeculantur ab altis,
Illudúntque minas, & inania cœpta rebelles.
Nam quid clauſtra iuuat terra circundare, & hoſtem
Acceſſu prohibere ſoli, ſi liber ab alto
Eſt aditus, portúmque rates impune capeſſunt,
Tela, viros, nec non Cerealia dona ferentes?
Quippe vbi Santonici ſe littoris ora cadentem
Porrigit in ſolem, extremiſque obuertit Iberis,
Funditur obliquis ſinuatum faucibus æquor,
Anguſtóſque aperit portus: queis candida latè
Littora, Rupellæque incumbunt deſuper arces.
Ræia ab aduerſo prætenditur, inſula Bacchi
Fertilis ante alias, ſalientis & vbere cruſtæ.
Nunc armis, LODOICE, tuis, & clade Britanni
Clarior; infauſtis qui per freta claßibus illùc
Milite compulſo, dum, quæ tentauerat armis,
Thoraſio defenſa duci caſtella relinquit,

Tergáque dat, missos fugiens trans æquora Francos,
Obruitur, latóque insternit funere campum.
Verùm aliis (neque enim fas est euoluere cuncta)
Pars erit hæc non parua tui memoranda triumphi,
Expertúsque fauor superûm, qui plurimus in te
Cardine in hoc rerum, ac tantis inclaruit orsis.
Nunc incepta sequar. Tali Rupella subinde
Opportuna loco, cùm per freta longa vagantes
Mitteret, haud vllo cursum prohibente, carinas:
Seu passim auxilio subeuntibus ostia velis
Panderet, æstus vt ad portum propellere naues
Cœperat: aut reuehens secum effundebat in altum:
Ludus erat, ficta belli sub imagine, septos
Mœnibus inuictis quatere, aut commercia terræ
Obstruere, in præsens opibus pensata marinis.
Non aliter magna in sylua, si fortè latentem
Fallere, præcipitémque agitare in retia prædam
Venanti est animus, densis nisi cassibus omnem
Obsidas aditum, fidáque indagine cingas,
Elapsam insidiis frustrà sectabere prædam.
Repperit his tandem auxilium, tua, maxime regum,
Prouida mens, monstrante Deo. Quis talibus ausis
Abnuat auctorem? Moles impressa profundo,
Quam nemo capere antè animo sine numine posset;
Non alius præter Francorum attollere regem.
Fallor? an externi Ducis hæc mirantis ab ore
Verba excepta loquor? qui per tua castra propinquos
Dum petit Hesperiæ fines, pérque omnia ductus
Intentos oculos, animúmque ad singula versat,
Horruit, ac tali mentem cum voce recluſit.

Et non ille quidem bellíque, operúmque, laborúmque
Inſcius, obſeſſas queis mos amplectier arces:
Soláque tum tanti extabant primordia cœpti.
Sed quibus hoc verbis, quanam hæc miracula voce
Exequar? vnde pares animos in carmina ſumam?
Tentandum eſt tamen, vt ſæclis tam magna futuris
Tranſmittam, neque longa ſitu hæc obliuia carpant.

PANEGYRICI
PARS ALTERA,

Quæ ſtupenda ad Rupellæ obſidionem Chriſtianiſſimi Regis opera, & eiuſdem obſidionis exitum deſcribit.

PARTE ſinus media, ſpatium quà fuſus in arctum,
Littore laxato, glomeratas colligit vndas,
Agger in aduerſas ab vtraque crepidine terras
Latior, ad ſummum paulatim anguſtior exit.
Hîc primùm erectæque trabes, nudique per alueum
Gurgitis impactæ, cùm ſe maris vnda referret
Æſtibus alternis. mox ferri robore multo
Innectunt tabulata ſuper. caua deinde ſoluto
Saxorum aggeſtu, vaſtiſque molaribus implent.
Nec vincire opus eſt. multo nam turbida cœno
Glarea, & iectæ voluuntur ab æquore ſordes.
Hic trabibus, ſaxiſque tenax vbi limus adhæſit,

Calce

Calce magis, ferróve ligat. non illa reclinans
Perpetuum dorsum spumantibus obiicit vndis.
Sed medio coitura freto dant brachia stagnis
Interrupta viam. quà ne transcurrere lembi
Subsidio clausis possint, & fallere furto,
Hinc atque hinc densæ claudunt diuortia puppes.
Oppositæ muris aliæ stant ordine longo.
Altera venturos à tergo prospicit hostes
Curuata in lunam classis, frontémque minacem
Obiicit: Instructæ tormentis grandibus omnes,
Atque viris, aditum tuta statione coërcent.
At medio in spatio, geminus quà deficit agger,
Ac totidem in pontum transuersis cornibus exit,
Longa operum series variorum. Hîc machina textis
Roboribus, ferro, clauísque trabalibus hæret,
Obiectura moras hosti. æratúsque catenæ,
Et ratibus suspensus obex currentia in altum
Cornua committit. quem tigna arrecta sequuntur
Sessilis in morem lychnuchi. hinc vndique sparsæ,
Hærentésque vadis fundum tenuêre carinæ.
Vt si marte viam perrumpere vellet aperto;
Siue per obscuræ captata silentia noctis
Gens inimica rates ageret, deprensa tot inter
Sisteret anfractus. Ceu quondam littora propter,
Vimineas circum crates, & virgea claustra,
Retia piscator sudibus suspendit acutis,
Angustos linquens aditus. Stat rupe sub alta
Captiuum opperiens. ille impiger adnatat, & se,
Nactus iter, foribus præceps immittit apertis.
Mox sensim, labente salo, vt subsidere cœpit,

Huc illúcque fuga luctatur, & humida circum
Lina ruit fruſtrà trepidans. latera omnia cingunt
Oppoſiti caſſes, & denſis funibus arcent.
Aggeris hæc vaſti facies, molíſque ſuperbæ
Immanis labor. exuperat tamen omnia præſens
Argumentum operis, quæ vel ſibi fingere quiſque
Audeat abſenti, vel quæ ſermone profari.
Et quanquam imparibus, quò me rapit impetus, alis
Extulerim nondum ad faſtigia tanta volatum:
Non tamen vſque adeò paruum eſt quodcunque canendo
Hauſimus, vt cuiquam poſſis conferre ſecundum.
Ire libet per cuncta, vetus quæ laudibus ætas
Egit in immenſum, Graiis cantata camœnis,
Aut Latiis regum, ac populorum ingentia facta.
Nec verò ignauas moles, memorandáque ſolis
Sumptibus illa loquor, Phariis quæ regibus ardor
Laudis, opéſque diu populi per damna paratæ
Extuderant. non Aſſyrias educta per vrbes
Barbarico luxu decoris monimenta ſuperbi.
Hæc ſubeant potiùs, pariles quæ vertit in vſus
Martis amor, trans & liquida æquora, tránſque ſonantes
Exponens fluuios metuendum gentibus agmen.
Ille per anguſtas Phryxæi limitis vndas
Impoſitus quondam, ac religatis puppibus actus
Pontis Achæmenij labor haud inglorius exſtat.
Quippe Aſiam Europæ, Heſperiis infudit Eoos.
Ante hunc & tumidi qui terga liquentia frænans
Danuby Geticas martem tranſuexit in oras,
Pars quota molis erant noſtræ? Neque enim æquor vtrũque
Oceani furiis, fremitúque aſſurgit aquarum.

Neutra quoque in totum ſteterat durabilis annum
Machina : nec medio in fluctu depacta reſedit :
Nil præter ſolitum fluitans in marmore ſummo.
Adde quòd illa prius ventis quaſſata , iugúmque
Indignante freto , laxa compage ſoluta eſt :
Immenſóque ruens ſonitu ſubſedit aquæ pons.
Ecce alius fractis Perſarum viribus , orbem
Solis ad extremum ſurgentis , & vltima tendens
Regna , moram belli Tyrias præuertitur arces :
Inſula erat : quam dum terris committere iactâ
Mole parat , ſtratíſque aduoluens grandia ſaxa
Arboribus , iamiámque agit , & ſpe deuorat vrbem.
Vaſtior incumbens , Afro impellente , procella
Fluctibus , & crebro concuſſam verbere , in æquor
Præcipitem trahit : ac collapſam turbine magno ,
Cum ſaxis , trabibúſque , viríſque , armíſque , dehiſcens
Corripit vnda vadis , altáque voragine mergit.
Noſtra nec vndarum incurſu labefacta , nec atris
Turbinibus conuulſa , minas , & inania ridet
Prælia ventorum , fundóque immota reſiſtit.
Imo etiam , quo ſe violentiùs æquore ab alto
Spumea ſaxa , fremens , molémque ſuperiacit æſtus ,
Hoc magis illa coit , & robore fixa ſuo ſtat.
Mira quidem canimus , ſed non indebita , ſi quis
Æſtimet auctorem. quippe haud mortalibus illa
Conſiliis ſurgens , fas immortale meretur.
Ne tamen humanis opibus , operíſque putares
Ingenio , tot ſe vndarum voluentia contra
Agmina , tot ventorum olim tenuiſſe procellas :
Donec erant hoſtes , & adhuc claudenda Britannis

Mœnia? ceu pelagi rupes, immobilis hæsit.
Vt victi ceßêre loco, dominúmque potentem
Rupella accipiens longa obsidione soluta est,
Tunc sua quamprimùm pelago, ventísque potestas
Reddita. tunc vacuas moles, & inertia claustra
Erangere posse datum est. partem non maxima demum
Rupit hiems: & quid, sinerent modo numina, quondam
Vis eadem posset, iam non metuenda probauit.
Anne aliud memorem? Ni nos emensa fatigent.
Curricula insuetos olim, nec ad otia factos
Carminis istius; paulum hunc intendere cursum
Impetus est, metísque retrò properare relictis.
Scilicet auctorem belli huius, & arma cientem,
Defensúmque Deo caput, & fatale domandis
Hostibus amborum, certis deprendere signis,
Carminis iste mei labor est. huic deinde canendo
Quod supereſt addam, nec longa ambage tenebo.
Regia dum moles ab aquis assurgit eundo,
Incumbúntque manus operi, dum littora feruent,
Non labor in tuto est. nam cladis imagine certa
Territus, & quà iam terris excluserat hostis,
Hac sese à pelago metuens indagine cingi
Rupicola infelix, varias se versat in artes.
Vt fera, dilapsam siluis quam densa fatigant
Agmina venantum, factá si forte corona
Claudere iter tentent, partem sè torquet in omnem,
Si qua viam in latebras, & nota cubilia monstret.
Is furor obsessis: magnum quia molis adactæ
Rumpere iter, propiúsque vetant succedere nostri,
Eminus instantes operi, totóque vagantes

Aggere tormentis, ferríque ſonoribus arcent.
Nec minus è caſtris, altáque crepidine curui
Littoris horrendo reſponſant murmure Franci.
Crebra loco ſtatio, muralíſque addita circum
Machina, ferratos premit æneo pondere currus.
Immanéſqua cauos, atque ora ſonantia flammis
Mœnibus obuertens, vbi denſo fomite paruam
Arripuit ſcintillam, it ferrea maſſa per auras
Fumiferam attollens commixto ſulphure nubem,
Fulminis ínque modum muros contorta, domóſque,
Saxáque, & immenſas magna vi corripit arces.
Hanc Erebi princeps peſtem mortalibus olim,
Lethi omnes aperire vias & crīminis auſus,
Monſtraſſe, & Stygiis fertur properaſſe ſub antris
Tartareum chalybem. quæ deinde exorſa ſequutus
Publicus in populos bellantum immiſcuit vſus.
His tum miſſilibus Francos habitator agebat
Deuotæ excidio Rupis, detrudere adortus
Hærentes vallo, aut vaſta miſcere ruina:
Artificúmque manum, & pulchros turbare labores.
Fruſtrà autem. Neque enim quenquam diſcriminis horror,
Non ſonitus lethum portantis ab æthere maſſæ
Terruit, incœptóque fugam præuertere ſuaſit.
Intrepidi perſtant. Medio ſic gurgite Nili
Stat breuis Inachiæ quondam ſacrata iuuencæ
Inſula, quam primi ſub tempora veris hirundo
Agmine denſa petit, paleáſque, & ſtramina circùm
Ore legens, longo, dictu mirabile, firmat
Obiice. nec requies feſſis: noctémque diémque
Continuant opere, & quadam dulcedine tactæ

Sæpe animas etiam grato impendêre labori.
Ni faciant, terram & longi munimina roſtri
Alliſi lacerent fluctus, ſpargántque per vndas.
Sic operum incenſi ſtudiis, & amore feruntur.
Inque vicem curas partiti, vt cuique tulit ſors,
Grandibus incumbunt ſaxis, ferrúmque, trabéſque
Conuectant, ſubeúntque humeris ingentia tigna.
Hi fodiunt, fugiente ſalo. Nec tegmina ab hoſte
Defendunt: dubiis exponunt corpora telis
Nuda. ſed expoſtis pro tegmine corpora præſens
Nuda Deus, caríque Deo fortuna tuetur
Principis. ambo aderant, tacitíſque hortatibus ille,
Hic coram alloquiis animos facit. Aduolat vnâ
Turba frequens procerum, mediúmque amplexa tuetur
Hinc atque hinc ſtipata Ducem. quos, ſideris inſtar,
Inter honoratum latè caput arduus infert
RICHELIVS, *Romana humeros cui purpura veſtit.*
Nec verò indictum noſtro te carmine fas eſt
Præteriiſſe mihi, rerum pars maxima, Franci
Nominis & regni columen. quo iuſtius auctor
His nemo inceptis, & ad huius pondera belli
Tertius adſcribi à ſuperis, ac rege meretur.
Quî cùm peruigiles curas, ſacratáque mentis
Abdita, nec faciles regni partitur habenas.
Quem Deus æternis rerum primordia verſans
Conſiliis, populíque memor tot caſibus acti;
Hæreſis, indomitæque olim dum deſtinat vrbis
Fatalem excidio Regem, non mollibus auſis
Participem, tantíſque parem conatibus addens,
Ingenio ſummique opibus præſtruxit honoris.

Hac comitante manu, & discriminis immemor, vltrò
Crebrà laborantum, & duro sub fasce gementum
Agmen obit Princeps, & quâ se prouidus Heros
Fert, comitem per cuncta Deum rapit. auctus vtrumque
Fecit adesse fidem vallum properantibus ardor.
Tùm nec opina salus. Cùm tot per inane volutæ
Affluerent mortes; tam crebrâ grandine tortæ
Inter saxa pilæ, Neptuniáque arua perirent;
Pectora qui tantis nunquam cessisse periclis,
Corporáque his intacta, Deo sine vindice, credit,
Esse Deum ignorat. vel si fors Numinis intus
Esse aliquid sperat! partes iniungit easdem,
Quas prius Actæi cultor mandauerat horti.
Vos procul inde suburbanæ mihi cortis alumni
Ferte pedem ignari rerum: quibus vna fruendæ
Causa subest lucis, proiectum in pabula ventrem
Exsaturare epulis, turpíve immergere cœno.
Qui solem hunc, terræque globum, campósque profundos
Æquoris immensi, complexúmque omnia corpus,
Æternáque vices mundi, tot nocte serena
Collucere suprà flammas, tot lapsibus infrà
In mare perpetuis fontésque amnésque reuolui;
Cætera quæ curas hominum collecta fatigant;
Non aliis, quàm prona pecus, spectatis ocellis.
Certè, ego quæ potui nonnullo numinis hausto
In Regem effusi superûm monimenta fauoris
Haud fictis aperire modis; quæque auribus hausi,
Regna per & populos constanti dicta fama,
Conciliant vatique fidem, subigúntque fateri
Hunc humana supra fastigia tollere celsum.

Non auro, gemmísque nouo sub sole refossis,
Sed meritis & amore caput. nam mutuus ardet
Amborum, Regem hinc Domini tutantis alumnum,
Inde pio cultu Dominum venerantis alumni.
Ac ne obscura tamen, dubitandáque numinis istæc
Argumenta putes. equidem non illa fateri
Certius his expressa notis miracula cogar,
Cœlicolum quondam generi quæ proxima, Francis
Regibus indulsit liquidi sacer vnctus oliui:
Glandibus obscenis releuare tumentia colla,
Queis regum haud alio fas est mansuescere tactu.
Adiice nunc quodcunque noui pòst deinde sequutum
Nec multis aperire libet: neque funditus omnem
Gestorum seriem, & fastigia summa tacere:
Bis pelago allapsum, ventísque ferentibus Anglum,
Aggere vt effracto, clausis penetrabile nautis
Esset iter medium: bis nostro marte repressum
Acceleratsse fugam, & velis abiisse retortis.
At quibus, ô superi, prouectus classibus in nos
Æquora constrauit! quantâ se mole carinæ
Intulerant! totidem dicas à sedibus arces
Inferri pelago, totidémque appellere montes.
Vix sese eximo fastigia ad ipsa tuentum
Attollunt oculi. tum per latera alta feneſtris
Mille vomunt ignes: totis seges ærea transtris
Stans ferrum intentat, ferrúmque volatile spargit.
Nec caput hoc belli, pestísque in nostra paratæ
Exitia. ast horrenda magis, metuendáque flammas
Miscebant duo Saxonicis inuenta Britannis.
Namque habiles lembos, summóque natantia tergo

Æquoris

Æquoris expediunt non magna texta carinæ.
Quam ſuper arſurámque picem, maſſáſque ſequaces
Vnguinis, & lentum lacrymoſi corticis humorem
Jniiciunt. circùm tædas, & ſtuppea vector
Nutrimenta parat: ferríque, æríſque reſecti
Fragmina; ſulphureæ meſſis quibus addit aceruum.
His inſtructa dolis, prono ſeu marmore lapſa,
Seu longis attracta rudentibus horrida pinus
Fertur aquis, fugiénſque ſecundo pellitur æſtu.
Inde, vocat cùm tempus, & hinc ſe nauita ſaltu
Eiiciens, primo Vulcani afflauit odore,
It cœlo flamma, & crepitans incendia voluit.
Verùm hæc nota priùs noſtro, ſi ritè recordor,
Altera nunc æuo eſt, atque hæc in bella reperta
Machina: quam memorant Diris ex omnibus vnam
Francorum immitem generi, docuiſſe Britannos.
Turbinis huic vaſti ſpecies. nam candida in orbem
Arca velut, gracilis lenteſcit bractea ferri,
Turget vt in ventrem cucumis. cui deſuper ingens
Incumbit tubus, & latum productus ab arcto
Verticem agit ſupra, radio traiectus aheno.
Tum nitro ac liquido medicatus ſulphure puluis
Jngeritur, latéque cauo ſe infundit hianti.
Hæc pelago: ſed ponè fugam moderante carina:
Mittitur: & cauea ſidente, ſupernatat vndas
Fiſtula. Deinc ſcopulis ſimul eſt allapſa, repulſu
Vertitur in caput, ad ſolidúmque illiſus, & altè
Deſcendens radius, tùm cæca repagula laxans,
Excudit ſcintillam. ea puluere rapta, per auras
Dat fremitum horrendum: quo circumiecta fragore

Pulsa tonant maria, & cœli domus alta remugit,
Hæc scopulos, hæc saxa rotat vis. illa reuulsos
Tolleret in cœlum, fundæ ceu verbere, montes.
Sic memorant. Tali (canerent si vera poëtæ)
Mole deos contra poterant torquere gigantes
Pelion, aut Homolen, aut iuncta Ceraunia cœlo.
Hac tum fraude rates, vallúmque, obicésque parabant
Vrere, & auulsis aditum perrumpere claustris.
Quæ ne monstra bono regi, Franciscque nocerent,
Néve piis ductus manibus procumberet agger,
Prouidus auertit cœli regnator, & antè
Prospectare freto dedit, & præuertere pestem.
Omnis ita in medio vis intercepta profundo
Concidit, in ventósquè minas effudit inanes.
Vidit inops animi Saxo; videre rebelles
Incluſi muris: luctu confusus vterque.
Illum etiam pauidus strauit timor, irrita postquam
Tentamenta procul, crudelis & omina pugnæ
Prospicit. Hoc primo expertus, hoc marte sequenti,
Haud vltrà dare sese, armis diffisus & arti,
Sustinet, ac tuta classem statione retentat.
Pacem optat, pacisque petit commercia supplex.
Quis mihi Rupellæ sensúmque, animúmque recludat
Talia cernentis: bis iam cessisse Britannos
Strage super prima. bis iam frustrata suorum
Subsidia: atque iisdem dilapsa ferentibus auris,
Queis inflata domum referebant carbasa victos.
Quõ se iterum vertat? quorum socia arma, fidémque
Aduocet? heu vecors! heu cladi addicta suprema!
Quô te deinde refers? an sit tibi certior vlla,

Quaque data poſſis melius confidere dextrâ,
Quàm quæ læſa tibi toties, tamen vſque volenti
Tenditur? hac cladem prohibens, tibi parcere geſtit
Rex idem tuus, atque parens. huic ſubdere regi:
Huic de te quicquid ſupereſt committe parenti.
Non faciet. neque enim ſcelerum ſat magna ſuorum
Supplicia expendit; nondum ſua tela repreſſit
Ira Dei vindex. armataque ignibus atris
Circunſtant furiæ vltrices. quas inter obeſrans
Illa mihi cantata priùs, vetus hoſpita ſæuit
Hæreſis, & piceo nigrantem lampada quaſſans
Sulphure, prælatam regnis dotalibus vrbem
Ante ſolo ruere, aut flammis crudelibus optet
Vrere, ni ſpes ſubſit, eò quàm pulſa ferat ſe
Relligio, quáſque illa manu diſiecerat aras,
Templáque, Romano ritu inſtaurata reſurgant.
Illa rudes veri populos agit, ardua circum
Tecta volans, miſeróſque lares. ſenſum illa malorum
Eripit. ac primùm vana ſpe luſit hiantes.
Inde vbi promiſſum auxilium, ſocia arma Britannûm
Spem toties mentita videt, ſe tendere fruſtrà,
Nec poſſe à muris victorem auertere Francum:
Poſtquam infuſa dies, & lux affulgere rebus
Cœpit, & arbitrio fati melioris eunt res.
Vrbem autem miſeranda fames, & tabida vexant
Talibus haud pridem aſſueti ieiunia ventris:
Nondum etiam abſiſtit. ſed mitis egentia paſtus
In furias rabida ora vocat: ritúque ferino
Inſuetas tentare dapes, obſcena ſubegit
Pabula. Per foſſas, & ſicubi ceſpite viuo

Cincta palus, limo, pigráque vligine torpens;
Gramina tetra legunt: vdóque in littore putres
Contactu salis, & spumosæ asperginis herbas.
Pars languente vado latebras scrutatur adesi
Pumicis, atque inter muscosa cubilia mænas
Prona legit, pelagi virus, cancróſque rubentes,
Ostreáque, & pisces vnda fugiente relictos.
Hos fœda ingluuies, dictu miserabile, adegit
Ambesas etiam rictu consumere pelles.
Scortea deripiunt cistis, & scortea rhedis
Tegmina. lentescunt baltei. properatáque flammis
Aruinâ subigunt pingui solatia longæ
Fœda famis. Vix illa fidem voluentibus annis
Inuenient, crebrò quæ teste audita recordor.
Mortua namque alios sociorum, incoctáque aheno
Membra ferunt morsu, horrendum, violasse profano.
Ceu quondam Solyma in magna, cùm mœnia ductor
Clauderet Ausonius vallo, egressúmque negaret.
Antè etiam abreptis Solem in diuersa quadrigis
Hæc damnasse vetus spectacula prodidit ætas.
O miseri ciues! ô dura, infandáque passi;
Sed meriti grauiora pati: si quid tamen vltrà
Pœnarum esse potest, & eas consumere digni!
Quis vos deinde furor; quis ad hęc tam dira coëgit
Supplicij, mortísque metus? Quiáne antè superbe
Regnantem in populos, robúrque immite gerentem
Pectoris expertis dominum captare pericli
Perfugium extremum placuit? Non si ille repentè
Mutatus, vestri similem hęc in bella tulisset
Mentem, animúmque, pari poterat sęuire furore.

Sed fruſtrà attonitos, Dirarúmque omnibus olim,
Jncenſos ſtimulis, & in hæc exempla paratos
Alloquor. Inſiſtunt auidi, atque indigna relatu
Ore vorant. Plures votis optata ſub vmbras
Funera mergebant, ſceleri atque rebellibus armis,
Non pœnis poſitura modum. Sic magna nocentum
Turba, moras paci, diuíſque datura benignis,
Pars exhauſta fame, pars haud dapis indiga, & iræ
Numinis, & rebus patriæ eſt impenſa ſecundis.
Namque vbi tot belli facibus, ſcelerúmque peremptis,
Corpus vt infuſa per viſcera peſte, leuata eſt
Quidvis digna pati, atque alio paſſura ſub hoſte:
Paullatim in ſontes cæli deferbuit ira.

Tum Patris æterni monitu Pax æthere lapſa,
Relligióque vrbem ſubit, & quæ mille ſororum
Sidereæ comites, pennatáque caſtra ſequuntur.
Agmine quo perculſa gradum extra mœnia torſit
Hæreſis, ima petens. Hac decedente, minores
Abſiſtunt furiæ, ſéque in ſua tecta refundunt.
Succedunt, rerúmque Deæ potiuntur, & intrò
Magnanimum accipiunt regem, portáſque recludunt.

P. DIONYSIVS PETAVIVS
è Societate IESV.

Nec ſinite inſignes trabibus deflectere pontes,
Quin pateant tumuli, & laterum munimina, rupes.
Inde per adſtrictas contorto fune carinas
Ducite, biſque nouam radiis oſtendite lunam.
Ite faces, claſſémque vltrà citráque vagantem,
Et puppes monſtrate ſalo feliciter hauſtas,
Innocuæque altis lychnorum inſidite fulcris.
Audior; effulſere ignes, fumúmque, & odorem
Sulphureum liquere. Vides, vt in aggere ſummo,
Purior, & radiis ſolaribus æmula flamma
Diſcurrat circum, trabibúſque alludat acernis?
Tota patet moles. Deus, ô! Deus ipſe laborat:
Vos opere in tanto mortales ſiſtite curæ.
Eſtne fides oculis? quis tanta rigere trabali
Clauſtra ſude, & ferro ſcopulos horreſcere iuſſit?
Fas fuerit Iuueni Æmathio tentaſſe profundum
Aggere terrarum, ſaxíſque imponere ſaxa,
(Ludibrium maris, & pulſæ vaga murmura ripæ)
Fas ita ſit Tyriis voluiſſe adrepere muris.
At leges dixiſſe mari, penetraſſe receſſus
Vndarum, & timidis multùm obluctantia terris
Æquora frenaſſe, vt mundi melioris in ortu,
Atque inconcuſſis includere Nerea ſeptis;
Numinis hic labor humanæ inſuperabilis arti.
Nam quis, Io! cautes Rhodopeio ducere plectro
Thebanâve Lyrâ ſcopulos aptare reciſos,
Quis potuit tantas cumulare in gurgite moles?
Spéſque datas flammis, hoſtiliáque arma morari?
Affuit ille Deus, regalibus affuit auſis,
Conſiliúmque dedit, LODOICE, manúmque potentem,

Quæ penè innumeris Rupellam clauderet vnam
Rupibus, immotisque aperiret mœnia saxis.
Cedat huic operi Pellæa gloria dextræ,
Quam Tyros elusit pelago prætenta frementi.
Cedat fluctiuago iunxit qui cærula ponte
Persa minax, vt Græco aciem daret ense metendam,
Et stratum fugiens transmitteret Hellespontum.
Nec vos euersâ duplicato fulmine Byrsâ
Scipiadas; nec te, vino post festa sepultam
Qui capis Ortygiam, pudeat Marcelle taceri.
Túque Rhodo fractâ quamuis Solymanne triumphes
Cede tamen. Vósque, ô! murali tempora pinnâ
Præcinctíque duces, exornatíque manipli,
Vos quicumque arces & propugnacula vinci
Nescia, laurigeris clari subiistis in armis,
Cedite victori LODOICO, cedite moli.
Parua fuit, si vestra meis victoria palmis
Æquari velit, & partem deposcat honoris.
Vna sine accessu magnum, Rupella, per orbem
Ante fuit, sed nunc, LODOICI *mole magistrâ*
Edidicit clausos victori pandere muros.
Vna licèt vasto latè circumflua ponto,
Externísque opibus defensa, & mille carinis,
Imperio tamen illa mei iacet addita Regis.
Illa licèt duplex Incendia voluerit hostis,
En modò Hyperboreæ, Rupellanaque procellæ
Ingruerint, nunc insanis vada concita ventis:
Tota tamen, sine clade, patet, sempérque patebit
Borbonio Heroi rupes qui vallibus æquat.
Quare admitte iugum, & supponere disce superbum

Mons-

Mons-Albane caput, quod inani cespite crescit.
Æqua solo rupes monti descendere suadet.
Túque fide antiquâ & celebris pietate Nemausus,
Vos vrbes quotquot male sanis ebria succis
Hæresis infecit, furiosáque factio perdit:
Discite iura pati, iustúmque agnoscite Regem.
Qui cautes domat, hic mollis præcordia terræ
Si iuuat, ingenti reserans perrumpet hiatu.
Inconsultæ arces, & perfida castra, timete;
Postquam tot scopulis murorúmque ardua pinnis,
Hincque vliginibus cæcis imperuia, & inde
Oceano seruata truci, & latrantibus vndis,
Imperiosa tamen cecidit Rupella, timete.
O tenebræ! ô fastus atque insanabilis error!
Quid sperare vltrà datur? aut quo tendere vitam
Præsidio? pluréſne globi, castellaúe plura
Obfirmant animos, & proxima fata coërcent?
At grauior vestris moles ceruicibus instat:
Et, non effugium, non auxiliaria spondet
Arma fretum, aut mittet lusuras Anglia flammas,
Anglia Borbonij testis pretiosa triumphi.
Quin etiam (miseros si desperatio flectit.)
Dicite, quóve dolo quâve euincetis opum vi
Elatos circum aggestæ telluris aceruos,
Paciferi positæ media inter viscera regni?
Quæ segetem dabit alma Ceres? quis farre negato
Gramina mittet ager, pecori carpenda, hominique?
Quod negat officium, quod non extorquet honestæ
Pacis amor; mox dira fames exposcere coget.
Aspicite in vacuis vt desolata plateis

Et quærat, fugiátque ſuos Rupella Rebelles.
Vix bene compleuit duodenus menſibus annum
Cynthius, heu! Iacet extinctum miſerabile vulgus,
Nec vetitas roſiſſe dapes, lethúmque minantes
Profuit aut terris humana cibaria menſis
Impoſuiſſe (nefas!) & amicum hauſiſſe cruorem.
Cætera pars vix tecta cute, & deformia viſu
Oſſa trahens, vitam in largis ſimul inuenit eſcis,
Amittitque ſimul, moritúrque vbi viuere cœpit.
Hæc vos fata manent, ſi tanta audacia perſtat
Seditioſæ vrbes, niſi funera lenta, venenum
Præcipitet, ferrive acies, aut feruidus ignis.
Ah! melius, per ſi qua manent veſtigia ſani
Conſilij, patrio ſi qua eſt reuerentia ſceptro,
Inclinate arces victori, & pandite portas.
Victa fidem Rupella docet.
O mihi Caſtaliis ſi fontibus expleat omnem
Muſa ſitim, & frontem præſagâ fronde coronet?
Ingreſſus LODOICE *tuos, vt dicere verſu,*
Et decora Auguſti poſſim æquiparare triumphi.
Qualis eras! quàm celſus equo! quàm fulgidus armis!
Blandáque quàm certum facies ſpirabat amorem!
Cùm Rupellanam victor delatus in vrbem,
Ciuibus ora ſolo defixa tenentibus, ires
Obuius, & veniam orantes, ſperare ſalutem,
Victorémque ſuum plauſu celebrare iuberes.
Talis eris, tali pompâ latera aurea cingent
Mille duces, talem te Montalbana iuuentus
Excipiet, tantóſque effuſis Vtica portis
In cœlum plauſus dabit, & turrita Nemauſus

Ad ſua te radiantem armis Capitolia ducet.
Totáque mox domino tua Gallia ſeruiet vni.
Hoc facite ô Superi, & Gallis ea ſola tegendis
Sufficiat moles, totúmque exterreat orbem.
Hoc facite, & puris firmate oracula flammis.
Audior. Ecce iterum delapſis ignibus agger
Exardet, votiſque venit felicibus omen.
Aſpice vt in varias incendia verſa figuras
Ludant arte noua, & Regi ſpectacula ponant,
Deſcribántque arces domitas, fingántque trophæa.
Aſpice vbi primo ſeſe fundamine moles
Extulit, ex quadro in longum conſurgere acumen
Pyramidem, & tenui conum euaneſcere formâ,
Dum proprior cœlo variis aſſultibus audet
Creſcere, Apollineóſque affectat lambere currus,
Et pariter lucem toti diſpergere mundo.
Cernis vbi oppoſitum iungit ſibi machina littus,
Vt ſe multiplici gyro contorqueat ignis
Plectilis, & geminas, diuisâ luce, columnas
Attollat ſurſum paruo ſinuamine flectens,
Atque triumphalem ſenſim curuetur in arcum.
At quá per mediam ſeſe æquora reflua molem
Effundunt, merſáſque vetant extare carinas;
Illic par Rhodio ſtatua inflammata Coloſſo
Erigitur, pontémque inſiſtens calcat vtrumque:
Cui pectus, celſóſque toros illuſtre leonis
Exornat ſpolium, dextram nodoſa fatigat
Claua, ſed illa tuos vultus LODOICE *figurat.*
Quid memorem extructas compactis ignibus aras?
Templáque purpureum Phrygiæ quæ Synnados antrum

Suffeciſſe putes, tantus rubor ardet in illis.
Quid referam quercus deciſis vndique ramis
Loricâ tectas rutilanti, & caſſide fuluâ,
Flexilibúſque ocreis, clypéique vmbone coruſco?
Quid roſtra, & puppes, fractóſque à ſulphure malos?
Quos famulati ignes flamma meliore colorant,
Æternúmque tibi ſtatuunt LODOICE *trophæum.*
Quid currus paſſim igniferos, habiléſque triumphis?
Quid virides lauros, palmáſque à ſole comantes?
Quas cognatus alit, flectitque in mille coronas
Mulciber, & flaui reſpergit rore metalli.
Quid reliquas toto volitantes aggere formas,
Flammarum è gremio, velut alto pègmate lapſas?
Quas nec Apellæi poſſint æquare colores,
Grandia Mœonij nec dicere carmina vatis.
Præcipuè tamen auratis Victoria pennis
Vertitur huc, illuc, & mole laborat in omni
Vociferans, pellénſque manu irreuocabile Tempus;
Cui tumultum parat Oceanus, miſeratus acerbam
Æquæui ſortem ſenis, & quem ſpumeus iras
Fluctibus intortis ſorbens, fundo excipit imo.
Atque hæc mille oculis vbi Fama volatilis hauſit,
Tot reddit linguis totíque renuntiat orbi.

P. CLAVDIVS DELIDEL
è Societate IESV.

NEPTVNVS
A REGE DOMITVS, ET CONCILIATVS.

QVALE *tuum nobis* REGVM IVSTISSIME *ſidus*
Sidus Amydæo formoſius igne renidet!
Arbiter an magni venies maris? an tua nautas
Numina ſola regent? ſparſáſque per æquora terras
Liligeris domitor coges ſeruare lupatis?
Fas audire Deos, fatiſque vocantia regna.
Nec tibi ſe contra ferat omni gurgite Nereus
Indignatus herum, quamuis ſtridente procellâ
Rauca ſonet, fluctúſque vagis illidat arenis,
Spes abiiſſe dolens, iráſque ſilentibus auris.
Imperio maiore premi confeſſus, inanes
Tollit aquas, pelagóque pauens redit vnda refuſo.
Nunc etiam memores vinclorum, temperat æſtus,
Indociléſque tuo furias ſub Numine flectit.
Sin molem impoſitam, & prætenta repagula lambat
Finibus exiliens iuſſis; ſolatur honore
Dedecus, & vinclis dulce oſcula ferre pudendis
Regali nectente manu. Quòd ſi ære triſulco
Propellit maria, & vaſtos deuoluit ab alto
Oceanus montes, tumidæ mons ſpumeus vndæ
Stat curſu in medio, & ſuſpenſis fluctibus hæret:
Cæruleus genitor, madidóſque aſpergine crines
Concutit, admirans quales denſantur acerui,

Machina quæ ſcopulos laceratis montibus æquor
Per medium rotat ; vnde fretis ingentia ſurgunt
Robora , cur ſteriles inter caput exerit algas
Aërium nemus ? an tellus infeſta profundo
Incumbit , propriiſque parat ſe pellere regnis.
Vt quondam cœlo inferrent cum bella Gigantes.
En adeo iactis conſtrictas molibus vndas
Sentio , ait , ſolitáque minor decedere ripâ
Conqueritur fluctus , curuantur brachia , iámque
Non aſſueta nouo complexu littora cingunt.
Dixerat , attollit tumidarum culmen aquarum
Arduus , & latè niueo vada conſita flore ,
Francicáque agnoſcit cæſis in rupibus arma ,
Agnoſcit , refugóque volumine pronus adorat.
Te quoque purpureas inter LODOICE *cohortes*
Eminus vt vidit , maiórque refulſit imago ,
Quanta Deos deceat : Pax hic non bella parantur.
Aut pia ſunt , inquit , Quis me confidere ſceptris
Iuſtitiâ firmante vetat . ſimul alta reſidit
Vnda , ſimul miti clemens elabitur alueo
Saxa per , & truncos ; modicus qua limes in vrbem
Obliquum furatur iter , longóque laborat
Anfractu , varióque eluditur obiice curſus.
Inde vbi mille vias euaſit , & ærea portum
Clauſtra obiectantem compleuit gurgite vaſto.
Ecce repens mugire fragor , cœlúmque tumultu
Intremere horrendo , murorúmque aggere Mauors
Tercentum vomit ære globos , totidem euibrat Ætnas ,
Ingentémque atrâ voluit cum nube fauillam ,
Sulphureo circum latè loca turbine fumant.

Iámque rebellantem & confisam rupibus vrbem
Detestatus abit, refugitque nocentibus vndas
Præterea scelerare plagis, quódque alluit arces
Fœdifragas, etiam imprudens, etiam inscius, ardet,
Séque tuis dignum vinclis REX IVSTE *fatetur,*
Verberibus nudátque humeros, & pectora saxis.
Obsequium testatus, ait, communia sunto
Vincula fœderibus pactis, coëamus vterque
Hîc in amicitiam, nec si ferus vndique pontus
Spumat adhuc, odium crudescere, & insscia flecti
Corda puta, spumâ nata est Dea Mater Amoris.
Nec leuis vnda fidem, promissáque mobilis aura
Differet, æquabunt motos tua lumina fluctus.
Tangere da dextram, iustúmque memórque docebit
Illa manu. Da, REX, *da pridem optata roganti*
Iura, pudet toties sceleratis classibus Austros,
Et conuectandis toties dare terga rapinis.
Quid cessas in fata, tuis, IVSTISSIME, *Regnis*
Debita, rumpe moras, te magnum magnus habebit
Regnatorem orbis, sed se tota æquora debent
Ante tibi. quid rura seris per Gallica tantum
Quas Asiâ, ripáque potes Gangetide lauros.
Testor vtrumque caput, nunquam tam discolor Indus
Et matutino gaudent iuga subdita Soli
Exoriente Deo, quam te, tuáque ora tueri
Græcia gestit amans, votisque fatigat Idume.
Sed neque tam cupidis Phœbum complectitur vlnis
Nereis, Igniuomos vbi soluit in æquore currus
Quam tibi (si liceat regales ferre carinas)
Cærula nostra stident. age, ponunt flamina venti,

Blanda maris facies, & iam tractabile numen
Inuitat, fluctus arrident dulce sonantes,
Carbasáque auratis Zephyrus circumuolat alis.
Ipsi te LODOICE *vocant Tritones in altum.*
Ipse bonus pelago Delphin, tua maximæ cura,
Apricat, petit ipsa nouum mea Tethis Achillem.
I, sequere Eoum ventis, pete regna per vndas
Occidua, & Franco iam gaudens nomine littus.
Sic, dici omnis amet, victus tibi, Francicus orbis,
Quámque Pater cunctos, tam Patrem filius anteï.
Nec tua cœpta, superba ausis Rupella moretur
Sacrilegæ ante domus gentis, nunc carcer, habebit
Saxa, quibus lateat, longúmque inclusa furentis
Vltâ fames motus populi, rabida orâ vorandi
Torquebit, tandémque vmbras sub Tartara mittet.
Ille etiam dextrâ ac leuâ qui fluctibus agger
Eminet, armatus saxis, & robore denso,
Stabit, acerba fremant quamuis in claustra procellæ.
Immo fugam celerate Noti: veto limina quisquam
Ista petat, quibus, has medij fiducia valli
Et molis tentare moras, aut vellere flabris
Æstus erit, postquam vanis conatibus omnem
Perdiderint operam, vinclorum & carceris atri
Supplicium dico. furere hunc fas ante furorem.
Quando pharetratæ vasanum Persidis ausum
Sensimus, & totâ pontem disiecimus Helle,
Seu cùm deinde Tyrum Macedo obsidione premebat,
Defixítque sudes & fragmina saxea voluit
Oppugnans; didicit nil contra fidere Diuos.
Interruptus obex, labefactáque vortice moles

Hausta

Hauſta fuit, vobis nunc ſtat quoque gratia facti
Æolidæ, ſed ſi decuit vaniſſima cœpta
Ferre Notos, vndiſque abolere, aut perdere flammis.
At non illud opus quod Dij pietáſque fidéſque
Extulerunt, vertiſſe datum eſt, cadet irritus omnis
Fluctus, & eluſæ repetent ſua clauſtra procellæ.
Quin agite exſtimulat ſi pectora bellicus ardor
Oſque tumet, multis ſtadium do nobile palmis.
En procul in pelago claſſis, Rhætæia contra
Littora, præcipites illuc conuertite flatus,
Turbinibúſque rates, & cærula tollite fluctu.
Scilicet ille meis illuſerit aduena Francis.
Quamquam, ô, ſi melior ſubeat ſententia mentem,
Si ſociet dextras, exemplâque noſtra ſequatur,
Parcite, vel tenui perſtringitè flamine Claſſem.
Sic Neptunus ait, dicta excepere volentes.
Nereïdes, Phorcique chorus, caua littora concha
Pulſat ouans Triton, ventíque vtrumque per orbem
Rupellæ cineres, & fata nouiſſima portant.

P. CLAVDIVS GIRARD
è Societate IESV.

LVDOVICO REGI
RVPELLÆ DOMITORI.

EPINICION.

QVO nimium indociles iras, & nescia flecti
Corda ferox Rupella moues? tantumne furorem:
Vrbs scopulis circum, & pelago pratenta sonanti,
Fraternæve acies, prædatrixque insula fecit?
Ah frustra conata leues opponere Franco
Bellatori animas, morituráque corpora vulgi.
Ecce triumphato didicit mitescere fluctu,
Iámque adeo captiuus amat Regalia Nereus
Vincula sponte pati, ratibúsque subesse laborat.
Cernis vt iectæ lato fundamine moles
Luctantes vndas, atque indignata coërcent
Æquora, vt aduersis procurrens frontibus agger
Oceanum angusto cogit succedere flexu,
Pulsa vbi, & alternis se fluctibus vnda resorbens
Vexat iter fremitu, ac prohibet per inhospita claustra
Ad tuas speratas adlabi mœnia classes.
Ter frustra voluere, minax ter carbasa contra
Extulit, & totis inuecta est Anglia remis.
Vix facinus tentare datum, vix obiice primo
Eluctata subit, Scyllam stupet inde sonantem
Inde insperatam fauces aptare Charybdim,
Post rigidas horrere sudes, pinúsque, trabésque.

Tot ferri ſaxíque moras, nil tendere contra
Fortunam mirata operis, confeſſáque turpi
Inuentum regale fugâ, tantum vrget aduſtas
Retro præcipitare rates, dum deſuper vltor
Igne tonat Francus, pelagóque incendia voluit.
Nec magis egreſſu tacito, qua parte rebelles
Aſſurgunt portæ, & centum faſtigia iactant
Obſeſſis ſpes vlla fugæ, tellus quoque adempta eſt.
Inſultat campo Rex acer, & arduus armis
Luſtrat equo muros, tot circum millia, lecti
Tela gerunt, tentántque aditus, pars cætera foſſas
Expediunt, arcéſque, & propugnacula, ſurgunt
Immanes operæ, iámque hic ſortita laborem
Diſcurrit legio, & muros ſtatione coërcet,
Vrbe ſilent altâ, ſeptúmque indagine vulgus
Tecta fouent, ſeu cum veteri ſub rupe draconem
(Heu terris inſigne malum pecorique viriſque)
Veſtigat flammis, & fumo vindice paſtor,
Ille tumens glomerat ſeſe, retróque reſidit
Nec quidquam, ſubit ater odor, diſrumpitur intus
Hydra ingens. quænam hæc medij fiducia valli
Portarúmque moræ! mox, ô, ſi fulmine vindex.
Ingruat & murum conteno verberet ictu,
Effundátque aciem caſtris LODOICVS *apertis,*
Quæ vos deinde tegent præruptis oppida ſaxis?
Quæ cautes ſcopulive ſatis! iam plurimus vrbem
Inclinat fragor, & repetita tonitrua victos
Increpitant; ſed enim iuſto Rex parce furori.
Ipſi vltro cecidere, intus ciuilia miſcet
Bella ferox hoſtis, dudum penetralibus imis

Sæuit acerba fames, exhaustáque pectora vexat.
Prob viles animæ, Francique oblita vigoris
Pectora, queis nec pacis amor, nec mortis honestæ
Cura subest, post tot rerum discrimina, & ægras
Terrarúmque marisque vices, post naufraga bella,
Et coniuratæ bustum illætabile classis
Discite frena pati, patrióque assuescere sceptro.
Pandite desueto stridentes cardine portas,
Et veniam orantes (si vox tamen vlla superstat)
Orantes veniam deposcite, mœsta vlulatu
Tecta sonent, miléque manum protendat inermem.
Victor, Iô, victam portis bipatentibus vrbem
Ingreditur princeps, & iusto fœdere fontes
Dignatur populos, violatáque iura reponit.
Quis tibi tunc LODOICE *decor, quam regius altæ*
Frontis honos, dum flammiuomæ sub cassidis auro
Martius exultas, mediisque in millibus ardens
Succedis portæ, & captis te mœnibus infers.
Ecce ipso sub ponte graues induta catenas
Turba fremit questu, & pacem clamoribus vrget,
It planctus cœlo, proiectáque corpora terræ
Aduoluunt miseri ciues, pars margine ab alto
Vix segnes oculos, pudibundáque lumina tollunt,
Nec propius vidisse audent, stupet indiga plebes
Ingentes animos, & sat sibi credita nunquam
Robora, vt incedit regalibus arduus armis
Non impar genitori, vt adultos fortior artus
Erudiit bello, florentésque extulit annos.
Ast alij faciles iras, oríque serenos
Mirantur fastus, intráque procacia nuper

Oppida victorem placato lumine ferri;
Iámque hoſtes oblitum vltro miſereſcere, & ipſum
Vix meminiſſe ſui, dum nullâ ſtrage nocentes
Caſtigat pugnas, piget ignorâſſe beata
Auſpicia, atque aliis dominum quæſiſſe ſub oris.
Accuſant ſeſe, & periuria longa retractant.
Sed tu dum trepidæ nimiûm placabilis vrbi
Indulges ſcelus, & pulchrâ pietate triumphas,
Aſpice vt in ſontes deſæuit funere cœlum,
Sudoréſque tuos, & longa pericula plectit.
Heu quanquam ſeruaſſe cupis, multúmque laboras
Prouidus expleri largo ieiunia paſtu,
Non potis eſt vinci diuûm furor, ordine longo
Concidit ante oculos, proiecta, infletáque turba.
Arenti ſeu preſſa fame præcordia victum
Eluctata negant, ſeu viſcera cruda voraci
Suffocant eſu, & nimio conamine rumpunt.
Hinc halat miſeranda lues, it peſtifer vrbe
Spiritus, ac viuis ſua funera mortuus infert.
Quare age, Rex optate, redi, fuge triſtia ſydera,
Et te redde tuis, poſt quam ſecurus iniquas
Excidiſti arces, melioráque ſacra dediſti.
Huc ades, ô victor, non tot capit vna triumphos
Vrbs lacera, & ſqualens plauſu non ſufficit hoſtis.
Ecce parat veteres populoſa Lutetia faſtus,
Et deſiderio dudum gens icta fideli
Innumeras artes pulchra in ſpectacula promit,
Nuntia iam feſtos accendit lumine poſtes,
Famáque maiori voluit præludere pompæ,
Quos plauſus quæ verba feres! Quibus obuia circum

Feruebit plebs læta iocis? quæ nomina iunget
Magnorum procerum! dum celsa ad templa curuli
Ingrediere potens, totúmque implebis honorem
O mihi si liceat regalem ad limina currum
Pone sequi, lectósque inter succedere vates,
Qua te voce canam! tum degustata tot annos
Castalis, atque hausti sacra Permessidе fontes
Decurrent sine more, omnis famulabitur vni
Terpsichore, & melior præsenti Musa sonabit.

P. Franciscvs Berthelot
è Societate Iesv.

RVPELLA REGI SE DEDIT.

ELEGIA.

Fessa malis vixque ipsa mihi Rupella superstes
Debeo, nec possum, victa dolore loqui.
Ante tuos affusa pedes, Regum optime, pacem
Deprecor, & merui, quòd moritura petam.
Tarda quidem, sed sæpè placet dilata voluntas,
Et quæ sera venit gratior esse solet,
Non me alti murorum obices fecere rebellem,
Non mare quod docuit regia vincla pati,
Nota tibi fueram, & toties rea facta verebar,
Nec tu (væ miseræ) sat mihi notus eras,

Ex illo didici quàm scires parcere victor,
Quod tibi, dum vincis, regius ardor erat,
Nostra tibi laudem clades dabit, attamen huius
Pars etiam laudis clade sepulta ruet,
Maius erit seruasse tui monimenta laboris,
Inque triumphato viuere velle loco.
Rupellæ nomen victoris fama sequetur.
Et quam stabo diu, te duce, capta ferar,
Qui tot me firmatam operis laudauerit hospes
Addet, ô, à quanto Rege subacta fuit,
Sed quamquam ignouisse voles, cœlum occupat iras,
Et forte inuiti Principis vltor adest,
In me omnes rerúmque vices elementáque pugnant,
Internúsque hostis sæuit acerba fames,
Heu miseri sine more vident sua funera ciues,
Et tua dum renuunt iussa, perire volunt,
Ingredere ô, fessis spes vltima, & vnica rebus,
Arduus è Rupis culmine quantus eris?
Ex illo quemcumque voles tibi panditur orbis,
Vlláne post Rupes inuia terra manet?
Penè placet crimen, si non insana fuissem
De magnis tantum Regibus vnus eras,
Sola dedi, & potui, quo cunctis altior esses
Seu cado, seu seruor, nemo secundus erit.

Idem]

RVPELLA OBSESSA,

ANGLIÆ FOEDERATÆ.

QVAM modo vix habeo mitto Rupella ſalutem,
Tu mihi maiorem ſi potes ipſa refer.
Nec ſat erit tenui tantum retuliſſe tabella,
Si licet armatâ reddere, redde manu.
Nulla mihi de te veniat modò littera furtim,
Sed ſubeat pleno Claſſis aperta mari.
Non bene ieiunum ſatiabit Epiſtola vulgus,
Vix ſatis exhauſtis integra claſſis erit.
Oppoſito tantum nos obice diuidit agger,
Totne tuis ſcopulus nauibus vnus erit.
Quid toties trepidas, cœptóque abſiſtis inani,
Bis fugiſſe queror, nec ſubiiſſe ſemel.
Non hæc magna olim dederas promiſſa roganti,
Auxilio nullas defore gentis opes.
Ecce iterum viles miſiſti ad funera turmas,
Credideram tandem poſſe venire viros.
Pœnitet externis dominum quæſiſſe ſub oris,
Dum mihi tam præſens Rex meus, hoſtis adeſt.
Nec ſi terra fugæ ſupereſſet & exitus vrbi,
Fruſtratam toties feſſa morarer opem.
Cingimur, & tellus rerum pars altera adempta eſt,
Nulla niſi extinctis libera terra patet.
Si patet illa tamen, pars heu inhumata iacemus,
Nec iam qui tumulo condere poſſit adeſt.

Deficit

Deficit exanimem puerum illatura ſepulcro
Mater, & vna duos non bene foſſa tegit.
Nec tantùm Rupella perit, miſereſce tuorum
Pars etiam noſtri funeris ipſa cadis.
Immiſcet noſtris Anglus ſua funera miles,
Ni properas, deinceps nemo iuuandus erit.
Tu fugiens patriæ dices mendacia genti,
Téque animo nunquam, me caruiſſe fide.
Aſt ego victa cadam, lapſique in rudere muri
Scribetur clades noſtra, pudórque tuus.
Quod Rupella iacet fecere & ciuis & Anglus,
Ille dedit cauſam, non tulit alter opem.

Idem.

ANGLIA FOEDERATA RVPELLÆ OBSESSÆ.

QVAM *præſtare velim non dicere mitto ſalutem,*
Heu mihi, quin totâ mittere claſſe licet.
Clauſa mari teneor, quis crederet! ipſáque votis
Quæ dederat toties, detrahit vnda fidem.
Æſtus adeſt, circumque volant mea lintea venti,
Claſſis, & in medio pondus inane freto eſt.
Vndique collucet viuax per cærula flamma,
In propriáſque furit flamma retorta rates.
Cor meminiſſe fugit, ſed quamuis obſtet honori,
Hanc tamen officiis annumerabo fugam.
Nec mihi iure potes non credere verſa fatenti
Carbaſa, mendaci non emo voce probrum.

Vtque negare velim data terga, elatus in auras
Clamor, & hæc risu littora pulsa probant.
Quin, Rupella, tuis auditum turribus esse,
Et penetrasse puto mœnia, tantus erat.
Quid facias? non cordi animus, non puppibus arma,
Non sacramento defuit icta fides,
Implerunt etiam venti mea vela secundi,
Et placidè stratas præbuit æquor aquas.
Nil tamen effeci, sed inutilis impetus hæsit,
Crede mihi, auerso mouimus ista Deo.
Scilicet egelidus subito præcordia sanguis
Figit, & incertus præpedit ossa tremor.
Prodigum mirata, animos ter suscito, térque
Horrifico soluor frigida tota metu.
Causa latet, mentem fugisse è pectore dicam?
An mage Raïacis obstupuisse malis.
Ah memini, quantis Francus mea castra cecidit
Vulneribus, quali vita redempta fugâ est;
Vtque licet celeres pedibus timor adderet alas,
Immundo iacui pene sepulta luto.
Ex illo retro fluere & dilapsa referri
Spes mea, résque tuas deteriora sequi.
Has, fateor, volui in portum reuocare carinas,
Inflabant faciles cum caua vela Noti.
At pudor, & partæ vetuit laus inclyta famæ,
Et labes toto non abolenda mari.
Parce, soror, tua me sat nota pericula tangunt,
Credo sed ars cladem hanc nulla leuare potest.
Quid promissa ferent? quid epistola lecta iuuabit
Sat scio, non pascent irrita verba famem.

Hæc tamen auxilio reliqua eſt via, vota ſuperſunt,
His vereor ne ſim ſplendida, rebus inops.
His ego te oppreſſam, Conſors Rupella, dolebo
Tu pariter caſus flebis amica meos.
Sed non vis lacrymas; vis arma, facéſque requiris
Arma in Borbonidas in tua clauſtra faces.
Oppoſitus tantum nos, inquis, diuidit agger,
Tamne ferent longas, tantula ſepta, moras?
Neſcis, heu, neſcis quantum molimen in illo eſt:
Aut Atho, aut Rhodopen æquor habere puta.
Sed neque Getulæ ſyrteis, prætentáque ponto
Saxa, forent Claſſi tam metuenda meæ.
Imperat illa mari moles, an Rege iubente
Ambiguum, certè iam minus vnda fremit.
Coniurant in te vt video, Rex, æquora, cœlum:
Certius hoc omen cladis habere potes?
Fors & teſtis ero: nam quid tot demoror æſtus?
Cur ligat inſtructas vis inimica rates?
Quicquid erit, magnos donec ſors adiuuet auſus.
Fortiter in clades tolle ſuperba caput,
Perfer, & obdura; natorum fata meorum,
Et tua iuncta meis pignora, mitte queri.
Sat vixere mihi, tibi ſi vixere, nec illos
Condere debebam nobiliore ſolo.
Sin noſtris nullam porro ſpem ponis in armis,
Idque ſalo toties paſſa repulſa iubet.
Tu quoque (quam facerent aliam furor iráque mentem?)
Si ſapis, haud fatis tot ſupereſſe voles.
At mea me victam illætabilis inſula claudet
Dira fleam vt terræ funera, dira maris.

P. Cl. Girard.

NEPTVNI VATICINIVM DE RVPELLÆ EXPVGNATIONE.

Ode tricolos tetraſtrophos.

CVM celſa rupi inſurgeret arduæ
Vrbs faſtuoſo conſpicua ambitu,
Illinc ſonanti tuta ponto, hinc
Littore difficilis paluſtri.

Tridente Phocas incutiens pater
Neptunus, vndis exeruit caput,
Latéque iuſſo ſtare fluctu
Fata nouæ fera dixit vrbis.

Faſtigiata vrbs littoribus malè
Impendet, ac iam tot ſcopulis, recens,
(O quanta poſt annos futura)
Ambitioſa Deos laceſſit.

Sic creuit audax Pelion additæ
Suppoſtus Oſſæ cùm Tityus ferox
Atque infidelis turba, cœlos
Imparibus ſubiere bellis.

Proh quantus iſto culmine deſuper
Incumbet olim finitimis pauor,
Quàm dira tempeſtas tonabit
In miſeras ruitura gentes,

Cùm peruicaces factio creuerit
Adulta in auſus, quidlibet impotens
Sperare, dementéſque rixas,
Imperióque ſcelus parabit,

Iniurioſo ſacra negans pati
Auita faſtu, rupe ſua nimis
Secura, cognatúmque crimen
In patrias trahet vlta clades.

Quæ vis laborum, quantus erit mari,
Campóque ſudor? dum toties furit
Gens dura, dum reges fatigat,
Indocilis fera colla flecti.

Quæ terra, qui non ſanguine Gallici,
Tingentur amnes? Ah quoties nefas
Videbo, ſontéſque erubeſcens
Purpureo grauis ibo fluctu.

Heu tot furorum, tot ſcelerum pudet,
Ecce inter ignes ſacrilegus volat
Prædo, quid intactum profanus
Horruit? Vnde manus nefaſtas.

Metu Deorum continuit? quibus
Pepercit aris? ſæpè ego perfidâ
Vexatus vrgebor carinâ,
Diuitibúſque premar rapinis.

Exurge vindex liligerâ manu,
Tandémque terris debite Rex veni,
Suffectus in laudes paternas
Borbonius, LODOICE, ſanguis.

Tot vnus inter ſufficies auos,
Primúſque magnæ par aderis rei,
Exurge præclaros in auſus,
Conſiliúmque potens deorum.

Vt iam minaci viuidus impetu
Designat hostem, vt præcipitat celer,
Sempérque victrices cateruas
In miseræ trahit vrbis omen.

Iam septa tantis arcibus vndique
Frustra proteruos improba cardines
Obiectat, aduersum coërcet
Acer eques statione limen.

Rex ipse in armis arduus increpat
Portas morantes, ecce furit viam
Feciſſe, & ignauos sub altis
Mœnibus impatiens laceſſit.

Qualis recenti dente nouus leo,
Aut ales vngui fulmineo potens
Exultat in lentos dracones,
Aut capreæ inuolitat fugaci.

Quid noſtra demens æquora reſpicis
Telluris exſpes, non ego perfidum
Dixi ſacramentum, imperanti
Stat placidos adhibere fluctus.

Regalia vltro vincla humilis pati
Diſcam, & minores voluere vortices,
Infráque præſcriptum refuſus
Te domito retinebo portu.

Cùm ſe pauendis molibus in freta
Effundet agger, tum facilem Thetin
Edico ſeruire, & fauenti
Oceanum famulari arena.

Ceſſent procellæ, néve ſacro irruat
Auſter labori; ſed melius procul
Miretur immanes cathenas,
Et data clauſtra ſuo furori.

Immenſa ſurget vis operum meos
Scrutata fundo difficili ſinus,
Nutabit incuſſum tumultu
Æquorei penetrale regni.

Inde æſtuoſis portubus altera
Coget cruentos Scylla vorax canes,
Hinc fabricatâ ſub Charybdi
Santonis ora rapax latrabit.

Tot ire contra difficiles moras,
Saxique & æris verbera quis ferat?
Pinus trabales & moleſti
Vorticis imperioſa iura.

Fruſtra impotenti futilis Albion
Conata remo eſt, ter refugo impetu
Viles reſorbentur carinæ, &
Ipſa ſuo flagrat igne claſſis.

Dum Francus atrox deſuper ingruit,
Crebérque flammis increpitans tonat,
Lætatus hoſtili ruinâ
Plectere præteritos labores.

At te ſub ægris interea fames
Acerba vexat mœnibus, vrbs diu
Fruſtrata, quid tutam recuſas
Conſilio meliore ſortem?

Suprema casus lux peragit tuos
Nec fas morari, summa dies adest.
Missúsque (sed non sic merenti)
Magnanimus tibi venit vltor.

O si dolori seruiat integro,
Reisque iusto supplicio incubet,
Siue hausta flammis, siue ponto
Tota cinis, vapor, vnda fies.

Occurre vinclis aspera, & horrido
Squalore supplex præteritum nefas
Extunde testato dolore,
Ipsa tui lachrymare vindex.

Sed iam misertus tristitiam vetat,
Mœstisque princeps gaudia ciuibus
Reponit, omnis plaudat ætas,
Dicite, vicit, Io, triumphat.

Quàm fastuoso capta per oppida
Ducere curru victor amabilis,
Fortísque sat bello probatus
Egregiâ pietate parces.

Feruere magnos iam video duces
Partem triumphi, & tot procerum manum
Vrgere, dum Regi laborat
Quisque suo propior videri.

Tum quæ repostâ delituit specu
Hydra interibit, quàm vetus abditâ
Sub Rupe fœcundum venenis
Lerna malum scopulo fouebat.

O cùm beatum Sol dederit diem,
Et me iuuabit cæruleum caput
Emergere vndis, ac per altum
Æquoreo volitare curru,

Tunc & profundo gurgite nobiles
Ciere Phorci ac Nereïdum choros,
Omnémque Nympharum tumultum
In socios animare plausus.

P. FRANCISCVS BERTHELOT
è Societate IESV.

RVPELLA EVERSA.

ODE.

TANDEM *subactâ ferre iugum insolens*
Ceruice, Reges & Superos pati
Rupella nequicquam minaci
Torua supercilio doceris.

Nil fœderatum littus, & intimæ
Iuuere vires, proditionibus
Auctæ nefandis, in ruinam
Principis, excidiúmque Regni.

Non si quæ ab atro limine Tænari
Stridens sub auras extulerint caput
Erynnes, innectæ per vrbem,
Et populum male peruicacem.

Cladem' redemere, at sceleri additum
Scelus, nocentes destituit, suâ
Circúmque scriptos fraude, qua nil
Parte sibi metuere cepit.

Nam quid sonantes tollere Nereus
Suetus procellas possit, vbi nouos
Retexit ortus, aut vtroque
Luna micat reparata Cornu.

Quid fossa celsam tergemino ambitu
Coronet vrbem? Rupibus additæ
Quid astra turres insolenti
Vertice suspiciosa pulsent?

Contra ruentem Borbonium, & suæ
Amica causæ Numina, molibus
Jactis in altum parcet aquor,
Rege truces moderante fluctus.

Immota stabunt saxa, nec ignium
Vis vlla vinctas disiiciet trabes,
Ipsique sorbebuntur imis
Præda vadis inimica lembi.

Ad te rebellem cladibus atteret
Vltrice dextra Numen, & impia
Per tecta diuisura mortes
Vrbe fames volitabit omni.

Quin iam reuulsas sulphureus vapor
Exstirpat arces, vndique mœnia
Sternuntur, & disiecta Regis
Ferre negant potuisse pondus.

I, nunc ſuperbos Regibus obiice
Rupella poſtes, dignior hâc fuit
Te nulla pœnâ; nemo deinceps
Difficiles aditus queretur.

P. CLAVDIVS GIRARD
è Societate IESV.

DE CAPTA RVPELLA
A REGE CHRISTIANISSIMO LVDOVICO XIII. EPIGRAMMATA.

POLYSTICHA XIII.

I

CVR Rupella capi tanto poſt tempore cœpit?
Quòd Regis nondum viderat ora ſui:
Illius vt primùm conſpexit lumina, capta eſt,
Nec mirum, hæc quiſquis conſpicit, his capitur.

2

Dum pedibus Rupella tuis aduoluitur ô Rex,
Quam contra reges tot potuere nihil,
Victorémque ſuum clara te voce fatetur,
Si bene quos fundit percipis aure ſonos,
Non tam hæc Rupellæ quàm Regum lingua priorum eſt,
Qui, tibi Rex vno, cedimus, ore ſonant.

3.

Vincere Rupellam parui Rex Maxime ducis,
Maiores Rupes vincere consilium est.
Vicisti parcens victis; tot pectore magnis
Rupibus; hæc etenim pectora nunc tua sunt;
At non iam rupes illi, sed mollia cuncti
Corda gerunt; tantum parcere prodigium est!

4.

Quæ melior miseris Rupellæ ciuibus orta est
Ingluuiéne fames, ingluuiésne fame?
Hos rabiosa fames crudeliter antè necabat,
At nunc ingluuies insaturata necat:
O quàm iusta Dei sequitur vindicta rebelles!
Rex licet ignoscat, non tamen ira Dei.

5.

Retia quam multo Rex milite cinxerat Anglus,
Illo non potuit milite cincta capi:
At munita mari Rupella, & mœnibus altis,
Milite mox Gallo cingitur, & capitur.
Te conferre meis aude nunc Anglia Gallis,
Vel regem regi, vel tua regna meo.
Quantum Rupellæ concedit Retia, tantum
Cedere te, toto certa erit orbe fides.

6.

Ingentem pelago commisit perfida classem
Anglia, Rupellæ misit & auxilio.
Anglorum naues hausit mare, Tartarus Anglos,
Naufragio soli se rapuere duo.
Nempe pudor facti, rumórque; hic peruolat orbem,
Anglica se fudit mœstus in arua pudor.

7.

Obſeſſam Græci Troiam vix mille carinis
Expugnare, annis vix potuere decem.
Aggere Rupellam Rex vno, expugnat & anno,
Et Rupella quidem Gallica Troia fuit.
Scilicet ille ſecans medium mare regius agger
Pro denis ratium millibus vnus erat:
Et nouus ad Troiam hanc qui venit Gallus Achilles,
Græco illo decies maior Achille fuit.

8.

Comparatio Rupellani aggeris cum Tyrio Alexandri.

Regis opus, miram lapidum longo ordine molem
Neptunus medio vidit in Oceano:
Deſine nunc iactare tuum mihi Græcia regem
Dixit, párque tui dicere regis opus:
Si regem regi confers, molem aſpice vtramque,
Illam hominis dices, hanc opus eſſe Dei.

9.

Quo Rupella die Regi ſe victa recluſit,
Ecquis in hanc primus qua data porta ruit?
Prima Ceres, primi Cerealia munera panes,
Et biſſex panum millia, prima cohors.
Non aliis implenda fuit Rupella cateruis,
Nam tunc hoſtis erat ſolus in vrbe, fames:
Miles nullus erat, vir nullus, militis ora,
Ora viri, diræ vera tot ora famis.
Vna fames hominum varias imitata figuras,
Et puer, atque ſenex, vir muliérque fuit.

Rupellæ hæc facies ; talis Rupella domari
Non poterat ferro , farre domanda fuit.

10.

Dum Rupella ſuis tot propugnacula muris ,
Tot validas arces arcibus agglomerat ,
Quàm metuit maleſana capi ! nec ab vrbe timorem
Pellit , quem clauſum mœnibus intus habet.
At muris viduata nihil timet amplius , vnde hoc?
Vndique quà fugiat nunc timor omnis habet.

11.

Quas Rupella ſibi centum conſtruxerat annis ,
Turres atque arces , diruit vna dies.
Tam longum tantorum operum inſanúmque laborem
Sternere quâ potuit tam breuis arte labor?
Ars fuit vna , Deum ſocium feciſſe laboris ,
Hoc ſummi poterat Numinis vna manus.
Attamen hoc Regis pietas molita peregit ,
Nimirum pietas regia dextra Dei eſt.

12.

Hæreticus viſa Regis pietate ſubitò ad fidem conuerſus.

Rupella in media præſens ſub imagine panis
Numen , dum mira Rex pietate colit ,
Perfidus extemplo multis è millibus vnus
Intonat has voces , en Deus , ecce Deus.
Certa fides , facit hæc pietas mihi regia certam ,
Quod veri ſignum certius eſſe poteſt?
Qui potuit de rupe iſtas educere voces ,
De rupe vt Moſes non potuiſſet aquas?

13.

Quæ tibi nunc mens est ô Mons-Albane subacta
Rupella? anne vltra perfidus esse potes?
Fortè tuam obdurat Regis clementia frontem,
Quæ parcit victis promeritísque mori:
Falleris, hæc metuenda tibi clementia Regis,
Ex qua te grauior pœna luenda manet.
Nam dum vindictâ facilis Rex abstinet, illam
Arbitrio cedit iustitiæque Dei,
Quæ tanto grauiùs sontes vrgétque premítque,
In sontes Regis quo minor ira fuit.
Ergo Principibus, populi, parere lubentes
Discite, tu Regi Gallia disce tuo:
Certa rebellantum pœna est, nec tarda, rebelles
Nam meritæ morti Réxve Deúsve dabit.

P. Ludovicvs Mærativs è Societ. Iesv.

DISTICHA XIII.

1.

Rupellam Rex ingreditur, cum Rege fidésque,
Relligióque, & cum Relligione Deus.

2.

Regis ad aspectum Rupellæ porta patescit,
Infernæ Christo sic patuere fores.

3.

Rex vrbem capit, hæc illum, at quàm dispare fato!
Rex capiens vincit, vincitur hæc capiens.

4.

Quid medio structus pelago facit agger? in vrbem
Claudit iter ratibus, militibúsque aperit.

5.

Quem mare non ſternit, licet vndique verberet, agger,
Rupellæ ſtrauit mœnia, nec tetigit.

6.

Rupellæ turres regno cœlóque minantes
Æquauere ſolo, dum cecidere, minas.

7.

Surda priùs, nunc vocem audit Rupella iubentis,
Cur patuere aures? clauſerat ora fames.

8.

Vrbe famem Rex donat, & hunc mox donat eâdem
Vrbe fames; gratam quis negat eſſe famem?

9.

Enectóſne fame dicam, ſaturóſne Rebelles?
Quippe animas etiam nocte diéque vomunt.

10.

Dum mare tot ratibus tegis Angle, quid efficis? vnum hoc,
Rupellam captam ne mare conſpiciat.

11.

Anglus opem cupiens Rupellæ ferre rebelli
Spondet, tentat, agit, plurima, multa, nihil.

12.

Anglia Rupellam captam non crederet abſens,
Adfuit vt poſſet credere, credit, abit.

13.

Rupellâ Rex edomitâ regna extera quære,
Non vltra tua te Gallia tota capit.

IDEM.

MONO-

MONOSTICHA XIII.

1.

Quæ non posse capi Rupella est credita, capta est.

2.

Rex capit, haud capitur capientis gloria mundo.

3.

Viuit capta tamen, vita est clementia Regis.

4.

Captæ arces sternit, paci totidem erigit arces.

5.

Restituit Diuis aras, donabitur aris.

6.

Dum Rupella iacet, stat Regi: stare, iacere est.

7.

Plus lapsam quàm stantem orbis miratur vterque.

8.

Panditur vrbs Regi, regni vrbs simul omnis aperta est.

9.

Panditur vrbs Regi, data porta per extera regna est.

10.

Panditur vrbs Regi, belli omnis ianua clausa est.

11.

Panditur vrbs Regi, tota Anglis Gallia clausa est.

12.

Anglia ter pugnare ausa est, ter & Anglia victa est.

13.

Rex victæ pacem, hinc Italis dedit, & dabit Orbi.

IDEM

RVPELLA

Kal. Nouembris M. DC. XXVIII.

LVDOVICO XIII.

GALLIARVM

REGI INVICTO

Post xv. Mensium obsidionem deditur.

CARMEN

Io. Baptistæ Lauri Perusini VRBANO VIII. ab int. Cubic. & Sacro Cardinalium Collegio à Secretis.

O PERTINAX *vecordia ! & moras adhuc*
Rupella ducis , regiam nec dexteram
Exoscularis , téque nec celeri gradu
Promissæ ad Aram proripis clementiæ?
Nunquid furentis æquoris dubiam fidem
Secundiorem rebus expectas tuis ?
Cui prouidè adeò regia illusit manus.
Alget Britannus , fœderum abscessit calor ,
Irata sensti maria , ventos , æthera ,
Ter quinque Lunæ flexibus iam ad incitas
Redacta , frustra Siderum imploras opem ;
Letho ingruente tot cares cultoribus ,
Naturæ vt esse & Tartaro ludibrium.

Rupella posſis. Quin plagæ Genius tuæ,
Belial perosus vsque dominantem tibi,
Ad Angelorum socia sese examina
Conuertit, vt te deserat; custos loci
Nec redeat vnquam, ni redeat ad pristinam
Tibi mens salutem. Ceterum Cælo auspice,
Et MARGARITAE *numine, indigenas tuos*
Vel abnuentes subleuante, cui Patres
Posuere Templa, sanitatem cogitas:
Et Cælitum quo tempore instat omnium
Celebritas, quorum omnium tu ferias
Cultu profano extruseras, en lenitas
Tibi omnium se prona, & hilaris prodigit.
Ad castra regis fœciales prodeunt
Properè ab nocenti ergastulo, palmas ferunt,
Patrata damnant, squallidi veniam rogant,
Ante ora Victoris gemunt, stringunt genu,
Plantas adorant. Inclytæ frontis iubar
LODOICVS *aperit, supplices vultu graui,*
Mox & sereno respicit; proteruiam
Sic increpat, maiorem vt exindè exigat
Fidem, notásque deleat Regi & Deo
Probanda pietas. Ilicet corda occupat
Fons gaudiorum: statuit ærumnis modum,
Obsessáque intrat mœnia: Ad sceptra accidit
Ceruice tota, quæ rebellarat cohors,
Fœcundiore gaudiorum flumine
Perfusa, quàm se ostenderat propius fretum,
Sorbens triremes Anglicas. Manipulos
Admittit hostis hospes, at melior cliens

Posthac futurus, tesserámque regiam
Laturus vndequaque. Muros diruit,
Producit Arcus, complet ornatu vias;
Regem salutat Principem, Dominum Patrem,
Reparantur Aræ, Antistitum puræ manus
Fana expiant, thura offerunt, litant Deo.

RVPELLA.

VRBS nimium sibi visa potens, quæ fallere cœlo
Ausa fidem, gemino violauit crimine Regnum,
Et detrectatis toties fuit æmula sceptris,
Imperio LODOICE *tuo succedit, iniquas*
Detestata moras: & quondam nescia vinci
Hoc vnum moriens metuit ne vincere nolis.

Mœnia non illi vastis surgentia circum
Aggeribus, fixæquæ polo fastigia turres,
Non arces, validi non propugnacula portus,
Obiectisque minax vndis, atque ostia claudens
Profuit Oceanus, passus noua littora poni,
Et queis captus erat cogens ad vincla Rebelles.

Dum clarum molitur opus Regique superba
Reddit fræna manu domitæ RICHELIVS *vndæ,*
Consilij rerúmque potens, gens inuida tantis
Nequicquam cœptis tardi venere Britanni
Vt fugerent: vidit Princeps, & fulmine primo
Demersit fœtas peregrino milite puppes.

Interea dum poscit opem ventósque morantes
Increpat, & tacito spes irrita defluit anno,
Vrbs depasta fame, densis populata ruinis,
Sparsa inter viuos complexa cadaueta Manes,
Atque diu vacuæ similis populóque superstes
Ipsa suo, iustis dubitabat cedere fatis.

Sed tandem (quorum pudor est, modo nomina restent)
Infelix Rupella cadit, vincique precatur,
Procumbensque solo vestigia Regis *adorat.*
O fœlix victore suo, qui funere vitam
Reddidit, hæc positis inscribens verba trophæis,
Pugnauit Regis Virtus, Clementia vicit.

I. H.

GALLICVS ALCIDES.

VICIT, *io vicit*, LVDOVICVS *vicit, & Hostes*
Imposita docuit lege subire iugum.
Ite triumphales per Regia tempora lauri,
Floribus Augustum cingite serta caput.
Ite triumphali vernantia LILIA *curru,*
Gentili Regum LILIA *nata solo:*
LILIA *cæruleo semper Florentia prato,*
Casside detracta Regis adite comas.
Exornent Hederæ victricia signa corymbis,
Et redimant fasces, classica, rostra, tubas,

Cladem redemere, at sceleri additum
Scelus, nocentes destituit, suâ
Circúmque scriptos fraude, qua nil
Parte sibi metuere cepit.

Nam quid sonantes tollere Nereus
Suetus procellas possit, vbi nouos
Retexit ortus, aut vtroque
Luna micat reparata Cornu.

Quid fossa celsam tergemino ambitu
Coronet vrbem? Rupibus additæ
Quid astra turres insolenti
Vertice suspicioſa pulsent?

Contra ruentem Borbonium, & suæ
Amica causæ Numina, molibus
Factis in altum parcet aquor,
Rege truces moderante fluctus.

Immota stabunt saxa, nec ignium
Vis vlla vinctas disiciet trabes,
Ipsique sorbebuntur imis
Præda vadis inimica lembi.

Ad te rebellem cladibus atteret
Vltrice dextra Numen, & impia
Per tecta diuisura mortes
Vrbe fames volitabit omni.

Quin iam reuulsas sulphureus vapor
Exstirpat arces, vndique mœnia
Sternuntur, & disiecta Regis
Ferre negant potuisse pondus.

I, nunc ſuperbos Regibus obiice
Rupella poſtes, dignior hâc fuit
Te nulla pœnâ; nemo deinceps
Difficiles aditus queretur.

P. CLAVDIVS GIRARD
è Societate IESV.

DE CAPTA RVPELLA
A REGE CHRISTIANISSIMO LVDOVICO XIII. EPIGRAMMATA.

POLYSTICHA XIII.

I

CVR Rupella capi tanto poſt tempore cœpit?
Quòd Regis nondum viderat ora ſui:
Illius vt primùm conſpexit lumina, capta eſt,
Nec mirum, hæc quiſquis conſpicit, his capitur.

2

Dum pedibus Rupella tuis aduoluitur ô Rex,
Quam contra reges tot potuere nihil,
Victorémque ſuum clara te voce fatetur,
Si bene quos fundit percipis aure ſonos,
Non tam hæc Rupellæ quàm Regum lingua priorum eſt,
Qui, tibi Rex vno, cedimus, ore ſonant.

3.

Vincere Rupellam parui Rex Maxime ducis,
Maiores Rupes vincere consilium est.
Vicisti parcens victis; tot pectore magnis
Rupibus; hæc etenim pectora nunc tua sunt;
At non iam rupes illi, sed mollia cuncti
Corda gerunt; tantum parcere prodigium est!

4.

Quæ melior miseris Rupellæ ciuibus orta est
Ingluuiéne fames, ingluuiésne fame?
Hos rabiosa fames crudeliter antè necabat,
At nunc ingluuies insaturata necat:
O quàm iusta Dei sequitur vindicta rebelles!
Rex licet ignoscat, non tamen ira Dei.

5.

Retia quam multo Rex milite cinxerat Anglus,
Illo non potuit milite cincta capi:
At munita mari Rupella, & mœnibus altis,
Milite mox Gallo cingitur, & capitur.
Te conferre meis aude nunc Anglia Gallis,
Vel regem regi, vel tua regna meo.
Quantum Rupellæ concedit Retia, tantum
Cedere te, toto certa erit orbe fides.

6.

Ingentem pelago commisit perfida classem
Anglia, Rupellæ misit & auxilio.
Anglorum naues hausit mare, Tartarus Anglos,
Naufragio soli se rapuere duo.
Nempe pudor facti, rumórque; hic peruolat orbem,
Anglica se fudit mœstus in arua pudor.

7.

Obſeſſam Græci Troiam vix mille carinis
Expugnare, annis vix potuere decem.
Aggere Rupellam Rex vno, expugnat & anno,
Et Rupella quidem Gallica Troia fuit.
Scilicet ille ſecans medium mare regius agger
Pro denis ratium millibus vnus erat:
Et nouus ad Troiam hanc qui venit Gallus Achilles,
Græco illo decies maior Achille fuit.

8.

Comparatio Rupellani aggeris cum Tyrio Alexandri.

Regis opus, miram lapidum longo ordine molem
Neptunus medio vidit in Oceano:
Deſine nunc iactare tuum mihi Græcia regem
Dixit, párque tui dicere regis opus:
Si regem regi confers, molem aſpice vtramque,
Illam hominis dices, hanc opus eſſe Dei.

9.

Quo Rupella die Regi ſe victa recluſit,
Ecquis in hanc primus qua data porta ruit?
Prima Ceres, primi Cerealia munera panes,
Et biſſex panum millia, prima cohors.
Non aliis implenda fuit Rupella cateruis,
Nam tunc hoſtis erat ſolus in vrbe, fames:
Miles nullus erat, vir nullus, militis ora,
Ora viri, diræ vera tot ora famis.
Vna fames hominum varias imitata figuras,
Et puer, atque ſenex, vir muliérque fuit.

Rupellæ hæc facies ; talis Rupella domari
Non poterat ferro , farre domanda fuit.

10.

Dum Rupella ſuis tot propugnacula muris ,
Tot validas arces arcibus agglomerat ,
Quàm metuit maleſana capi ! nec ab vrbe timorem
Pellit , quem clauſum mœnibus intus habet.
At muris viduata nihil timet amplius , vnde hoc?
Vndique quà fugiat nunc timor omnis habet.

11.

Quas Rupella ſibi centum conſtruxerat annis ,
Turres atque arces , diruit vna dies.
Tam longum tantorum operum inſanúmque laborem
Sternere quâ potuit tam breuis arte labor?
Ars fuit vna , Deum ſocium feciſſe laboris ,
Hoc ſummi poterat Numinis vna manus.
Attamen hoc Regis pietas molita peregit ,
Nimirum pietas regia dextra Dei eſt.

12.

Hæreticus viſa Regis pietate ſubitò ad fidem conuerſus.

Rupella in media præſens ſub imagine panis
Numen , dum mira Rex pietate colit ,
Perfidus extemplo multis è millibus vnus
Intonat has voces , en Deus , ecce Deus.
Certa fides , facit hæc pietas mihi regia certam ,
Quod veri ſignum certius eſſe poteſt?
Qui potuit de rupe iſtas educere voces ,
De rupe vt Moſes non potuiſſet aquas?

13.

Quæ tibi nunc mens est ô Mons-Albane subacta
Rupella ? anne vltra perfidus esse potes?
Fortè tuam obdurat Regis clementia frontem,
Quæ parcit victis promeritísque mori:
Falleris, hæc metuenda tibi clementia Regis,
Ex qua te grauior pœna luenda manet.
Nam dum vindictâ facilis Rex abstinet, illam
Arbitrio cedit iustitiæque Dei,
Quæ tanto grauiùs sontes vrgétque premítque,
In sontes Regis quo minor ira fuit.
Ergo Principibus, populi, parere lubentes
Discite, tu Regi Gallia disce tuo:
Certa rebellantum pœna est, nec tarda, rebelles
Nam meritæ morti Réxve Deúsve dabit.

P. Ludovicvs Mærativs è Societ. Iesv.

DISTICHA XIII.

1.

Rupellam Rex ingreditur, cum Rege fidésque,
Relligióque, & cum Relligione Deus.

2.

Regis ad aspectum Rupellæ porta patescit,
Infernæ Christo sic patuere fores.

3.

Rex vrbem capit, hæc illum, at quàm dispare fato!
Rex capiens vincit, vincitur hæc capiens.

4.

Quid medio structus pelago facit agger? in vrbem
Claudit iter ratibus, militibúsque aperit.

MONOSTICHA XIII.

1.

Quæ non posse capi Rupella est credita, capta est.

2.

Rex capit, haud capitur capientis gloria mundo.

3.

Viuit capta tamen, vita est clementia Regis.

4.

Captæ arces sternit, paci totidem erigit arces.

5.

Restituit Diuis aras, donabitur aris.

6.

Dum Rupella iacet, stat Regi: stare, iacere est.

7.

Plus lapsam quàm stantem orbis miratur vterque.

8.

Panditur vrbs Regi, regni vrbs simul omnis aperta est.

9.

Panditur vrbs Regi, data porta per extera regna est.

10.

Panditur vrbs Regi, belli omnis ianua clausa est.

11.

Panditur vrbs Regi, tota Anglis Gallia clausa est.

12.

Anglia ter pugnare ausa est, ter & Anglia victa est.

13.

Rex victæ pacem, hinc Italis dedit, & dabit Orbi.

IDEM

RVPELLA

Kal. Nouembris M. DC. XXVIII.

LVDOVICO XIII.

GALLIARVM

REGI INVICTO

Post xv. Mensium obsidionem deditur.

CARMEN

Io. Baptistæ Lauri Perusini VRBANO VIII. ab int. Cubic. & Sacro Cardinalium Collegio à Secretis.

O PERTINAX *vecordia ! & moras adhuc*
Rupella ducis , regiam nec dexteram
Exoscularis , téque nec celeri gradu
Promissæ ad Aram proripis clementiæ?
Nunquid furentis æquoris dubiam fidem
Secundiorem rebus expectas tuis ?
Cui prouidè adeò regia illusit manus.
Alget Britannus , fœderum abscesit calor ,
Irata sensti maria , ventos , æthera ,
Ter quinque Lunæ flexibus iam ad incitas
Redacta , frustra Siderum imploras opem ;
Letho ingruente tot cares cultoribus ,
Naturæ vt esse & Tartaro ludibrium.

Rupella posſus. Quin plagæ Genius tuæ,
Belial perosus vsque dominantem tibi,
Ad Angelorum socia sese examina
Conuertit, vt te deserat; custos loci
Nec redeat vnquam, ni redeat ad pristinam
Tibi mens salutem. Ceterum Cælo ausspice,
Et MARGARITAE *numine, indigenas tuos*
Vel abnuentes subleuante, cui Patres
Posuere Templa, sanitatem cogitas:
Et Cælitum quo tempore instat omnium
Celebritas, quorum omnium tu ferias
Cultu profano extruseras, en lenitas
Tibi omnium se prona, & hilaris prodigit.
Ad castra regis fœciales prodeunt
Properè ab nocenti ergastulo, palmas ferunt,
Patrata damnant, squallidi veniam rogant,
Ante ora Victoris gemunt, stringunt genu,
Plantas adorant. Inclytæ frontis iubar
LODOICVS *aperit, supplices vultu graui,*
Mox & sereno respicit; proteruiam
Sic increpat, maiorem vt exindè exigat
Fidem, notásque deleat Regi & Deo
Probanda pietas. Ilicet corda occupat
Fons gaudiorum: statuit ærumnis modum,
Obsessáque intrat mœnia: Ad sceptra accidit
Ceruice tota, quæ rebellarat cohors,
Fœcundiore gaudiorum flumine
Perfusa, quàm se ostenderat propius fretum,
Sorbens triremes Anglicas. Manipulos
Admittit hostis hospes, at melior cliens

Posthac futurus, tesserámque regiam
Laturus vndequaque. Muros diruit,
Producit Arcus, complet ornatu vias,
Regem salutat Principem, Dominum Patrem,
Reparantur Aræ, Antistitum puræ manus
Fana expiant, thura offerunt, litant Deo.

RVPELLA.

VRBS nimium sibi visa potens, quæ fallere cœlo
Ausa fidem, gemino violauit crimine Regnum,
Et detrectatis toties fuit æmula sceptris,
Imperio LODOICE *tuo succedit, iniquas*
Detestata moras: & quondam nescia vinci
Hoc vnum moriens metuit ne vincere nolis.

Mœnia non illi vastis surgentia circum
Aggeribus, fixæquæ polo fastigia turres,
Non arces, validi non propugnacula portus,
Obiectisque minax vndis, atque ostia claudens
Profuit Oceanus, passus noua littora poni,
Et queis captus erat cogens ad vincla Rebelles.

Dum clarum molitur opus Regique superba
Reddit fræna manu domitæ RICHELIVS *vndæ,*
Consilij rerúmque potens, gens inuida tantis
Nequicquam cœptis tardi venere Britanni
Vt fugerent: vidit Princeps, & fulmine primo
Demersit fœtas peregrino milite puppes.

Interea dum poscit opem ventósque morantes
Increpat, & tacito spes irrita defluit anno,
Vrbs depasta fame, densis populata ruinis,
Sparsa inter viuos complexa cadaueta Manes,
Atque diu vacuæ similis populóque superstes
Ipsa suo, iustis dubitabat cedere fatis.

Sed tandem (quorum pudor est, modo nomina restent)
Infelix Rupella cadit, vincique precatur,
Procumbénsque solo vestigia Regis *adorat.*
O fœlix victore suo, qui funere vitam
Reddidit, hæc positis inscribens verba trophæis,
Pugnauit Regis Virtus, Clementia vicit.

I. H.

GALLICVS ALCIDES.

VICIT, *io vicit*, LVDOVICVS *vicit, & Hostes*
Imposita docuit lege subire iugum.
Ite triumphales per Regia tempora lauri,
Floribus Augustum cingite serta caput.
Ite triumphali vernantia LILIA *curru,*
Gentili Regum LILIA *nata solo:*
LILIA *cæruleo semper Florentia prato,*
Casside detracta Regis adite comas.
Exornent Hederæ victricia signa corymbis,
Et redimant fasces, classica, rostra, tubas,

Geſtet Idumæas palmas, animoſa Iuuenta,
Inuictæque manus Martia facta canat.
Agmina Regalem præcedant ordine pompam,
Armáque cum telis in ſtrue iuncta ferant.
Squalida nuda pedes veniat Rupella triumpho,
Captiuos Ciues concomitata trahat.
Plauſibus adiectum felix circumſonet omen,
Omine cum fauſto Celticus annus eat.
Increpitent rauco reſonnantia Tympana pulſu,
Mixtáque reſponſent, buccina, plectra, fides.
Iam totum volitet prænuntia fama per Orbem,
Geſtáque belligeri tollat ad aſtra Ducis.
Celſa petant ſtructi ſpoliis hoſtilibus arcus,
Prædáque marmoreo pendeat alta tholo.
Digna Gigantæis ſurgant monumenta trophæis,
Latáque cernantur carmina ſcripta notis.
GALLICVS ALCIDES *nodoſæ robora claua,*
Criminis vltor habens impia monſtra domat.
Impia monſtra domat, damnatos fraude rebelles,
Quos regit obſeſſos Ira, Megæra, furor.
Arma ſatellitibus Cocytia turba miniſtrat,
Et Phlegethontæas fert ſine lege faces.
Regna Charon Ditis linquens, & flumina Lethes,
Laruatos Lemures ex Acheronte trahit,
Quemve capit Rupes ſpatioſum mœnibus orbem
Inuadunt ſubiò, compita pérque ruunt.
Ponitur ante fores Lutherus Ianitor Vrbis,
Cerberus inſomnis colla ſuperba gerens.
Olli mille truces vmbrantes ora Ceraſtæ,
Gorgones, Harpyæ mille, venena vomunt,

Inque Meduſæa reptantes fronte Chelydri,
Tabifico vitiant non vitiata ſitu.
Geryon ore minax Caluinus corpore triplex
More Lupi terret circumeuntis Oues.
Ructat peſtiferos æſtus, & dogmata fingit,
Dogmata quæ tetrum ſingula virus habent.
Perfidiæ reſonat rugitus in ore Leonis,
Quem pauidum pugnax Gallus adortus agit.
Nec Nemeæ ſub rupe ferit, Rupella peremptum
Turpe, Caledonias conſpicit ante rates.
Occupat Oceanum, non Lernæ ſtagna paludis
Torua colubriferum quæ mouet Hydra caput.
Hanc pietate necat noſter Tirynthius Heros,
Cui fidam, fidus fert Iolaus, opem.
Tu RICHELI *ſocius fueras Iolaus* AMANDE,
Peruigil ingenio, peruigil arte Ducis.
Conſcius arcani ſemper, pars magna laborum,
Conſilio præſtans, Neſtoreiſque modis.
Eſt tua quæ fraudes ſolertia detegit Hoſtis,
Regis & imperium cogit adire feras.
Gallica tu tractans librätæ pondera molis
Omnibus æquata munera lance paras.
Sed quo me rapiunt meritæ præconia laudis,
Atque cothurnato carmine, carmen agunt?
Ad te me rurſus reuocant ingentia facta,
Ad te pulſa Chelys me, LVDOVICE, *vocat.*
Ipſa tibi natura fauet, fauet æquoris æſtus,
Oceanus leges, & tua iuſſa ſubit.
Conſpirant elementa, tibi famulantur & imbres,
Et coniurati militat aula Poli.

Fulmine nam belli domuiſti Monſtra Gigantum,
Et cecidit Babylon fulmine tacta tuo.
Felix ſorte noua, tibi felix emicat aſtrum,
Dátque ſerenatos in tua vota dies.
Queis igitur titulis celebrem, queis laudibus ornem,
Aut quo te decoret nomine dignus honos?
Amphitryoniadem ſpecioſo nomine dicam?
Detrahitur merito: Iuppiter alter eris,
Iuppiter alter eris, poſito qui fulmine belli
Arbiter Italiæ, fœdera pacis amas.

FATALIS MACHINA RVPELLÆ.

GAllicvs Alcides *nuper cantatus, & Vrbis*
Rupellæ Domitor, ductórque ex hoſte trophæi
Sufficit Aonidum dignas in carmina vires.
Non mihi, Phœbææ cortinæ vela ſubire
Nunc opus eſt reduci, nec te Peneia Daphne
Carpere de Pindo, Cyrrhæáque ſacra morari,
Aut noua Caſtalij laticis libare fluenta:
Gallus Phœbus erit, Gallorum Lilia *cingent*
Tempora, perpetuum Vati latura virorem.
Vos decus Auſoniæ Proceres, ſacríque Senatus
Præſidium, columen Romæ, virtutis amores.
Túque adeò in primis Regis cui ſenſa pateſcunt,
Dignáque decurrunt doctis oracula labris,
Vóſque perennantes colitis qui Pallados artes,

Aſpi-

Aſpirate mihi, cœptóque fauete labori:
Auſpiciis etenim veſtris ingentia Molis
Saxa canam, ſuppoſta vagis vt clauſtra procellis,
Queis Rupella ſuis auulſa penatibus, armis
Succubuit Regis, gaudet qui nomine IVSTI.
Inclyta compoſitis florebat Gallia rebus,
Gallia diues opum, cultrix virtutis auitæ,
Alma Ducum, Regúmque parens generoſa Iuuentæ
Mater, & inuictæ fœcunda puerpera gentis.
Diſſociata locis concordi pace regebat
Regna, truces populos communi fœdere iunctos
Immotis Regina velut paſcebat in armis.
Nobilis à Celtis longè non Sequana Belgas
Moribus aduerſis ſeiunctos amne tenebat.
Seruabas bifido commercia Rhene meatu:
Fidebátque tuis ſegetes Germania ripis.
Præcipitabat Arar Rhodanum per ſtagna Lemanni
Mitius vndantem, placidóque Druentia lapſu
Manabat, Narbonis Atax, rapidúſque Garumna
Oceano reſluus per culta pigerrimus ibat,
Aruernóſque Liger, ditabat Moſa Sicambros.
Aurea pacato ridebant tempora vultu,
Inque triumphali gradiens Aſtræa quadriga
Celtica librata tractabat pondera lancis,
Læta ſub imperio LVDOVICI *Regis, & vmbra.*
Non tulit id ſæui nutrix Diſcordia belli,
Irarum genitrix, mortalibus aſpera peſtis,
Perniciosa lues, Dipſas ſitibunda cruoris,
Impia Regnorum turbatrix, dira Miniſtra
Perſephones, Erebíque nigri ſcelerata Satelles.

Cum ſubito fractis Plutonia regna catenis
Concutit, & duri rumpens confinia Ditis
Euocat infernos Manes, Hecatémque triformem,
Tiſiphonémque trahit, coniuratámque Megæram
Flectit, & Alecto pexam pro crinibus angues
Armat in hoſtiles pro libertate phalangas,
Pérque latebroſos errans furibunda receſſus
Gorgonas, Harpyas, Canis ora trifaucis, & Hydram
Exagitat ſtimulis, Ripáſque Acherontis obumbrat,
Cocyti lacrymis Lethes obliuia miſcet,
Et Phlegethontæas attemperat ignibus vndas.
Protinus erumpunt tenebris, cœciſque cauernis
Squalida nigranti Rhadamantia monſtra veterno
Bella, neces, clades meditantur, & arma cruore
Sparſa petunt, poſcúntque nouis clamoribus arma.
Non tot maturæ quatiuntur ab Ilice glandes,
Littoribus pelagi tot non calcantur arenæ,
Hybernive cadunt denſatis nubibus imbres,
Quot Lemures Orco ſecum Diſcordia duxit.
Eſt locus, Aulnicios qua fluctibus alluit agros
Oceanus, littúſque furens inuadit, & Arcem
Reddit inacceſſam refluentibus æquoris vndis.
Hunc Celtæ dixere cauæ de nomine rupis
Rupellam, fama, terráque marique celebrem:
Attamen inuiſam Superis, quod plena veneno
Pocula Caluini ſuxit; pietatis auitæ
Immemor, & ſacros deſpexit perfida ritus.
Hoſtibus hæc olim, Gallis & Regibus arma
More rebellantis circumtulit, auſa fouere
Excetram variis quæ pullulat atra colubris,

Qui tua commaculent Pietas, ſanctiſſima iura,
Inficiántque nigro mortalia pectora tabo.
Huc vbi peruenit praceps Diſcordia, crines
Explicat horrendos, ſerpentigerúmque flagellum
Intorquet manibus. gelidus ſuper ora recurſat
Pallor, & inuiſas iaculantur lumina flammas.
Ocyus æterna damnatos nocte rebelles
Obtutu luſtrat toruo, vulgúſque requirit,
Quod ſtygio veniens regno perduxit in auras,
Mœſtáque deformi ſcamno ſuffulta, Barathri
Talibus affatur verbis infamia Monſtra.
Ecquid opus fortes animos, & Martia corda
Sollicitare diu noſtri pro Numinis ara,
Seu pro tutanda noſtrorum ſtirpe clientum?
Ecce reciſa cadit Caluini ſecta, nec vlla
Spes manet vlterius, radicitus eruta languet,
Eruta ſecta iacet. Fœdè nos pellimur omnes
Sedibus è propriis, charíſque penatibus vrbis
Rupellæ. nobis iam coniurata minatur
Gallia bellipotens, Arcem iam milite cingit,
Aggere iam ſtructo non indignatur in vndis
Oceanus frænum, patitúrque domata carinis
Oſtia repleri, refluis non æſtibus æquor
Bacchatur contra fabricatas turribus arces.
Diductis circum vallantur mœnia foſſis,
Hinc metus, inde fames perturbant, Gallus in armis
Territat, & Regis comtemnit ſera Britanni
Arma. rates, vires, & Bucchinganica damna
Spernit ab effœtis venientia nauibus igne.
Nunc animo ſtat firma meo ſententia. Molem

Aggeribus cinctam peruellere. ſpero fauebunt
Æolus & Pontus noſtris ingentibus auſis.
Sic iuuat Orcheſtram tragico calcare cothurno,
Sic iuuat ire vias omnes, iuuat artibus artes
Rimari, fictiſque dolis eludere Francos.
Vos, trepidos œſtro furiali pellite Ciues,
Perfidia ſtimulate ſinus, præcordia fraude
Multiplici munite, manus fœdate cruore
Santonicas fuſo, Martémque accendite ferro,
Et longo Regem Gallorum fallite bello.
Sic ait, & ſubitò Ventorum percita Sedes
Intrat in Æolias, tentat ſtudioſa latebras
Nereïdum penetrare cauas, quibus ocia ducit
Æolus Hippotades, cùm ſe ſubtraxit ab vndis.
Cærulea tum fortè domo, vitreiſque ſub antris
Rerum ignarus adhuc Rex tempeſtatis agebat.
Centum illi aſtabant famulantes vndique Venti,
Murmure qui reſono ſpatiantur, & æquora verrunt,
Quos minor inſequitur greſſu feſtina Caterua,
Cui nemora, & montes, fluuióſque eſt cura petendi;
Cum improuiſa ſtetit, ſolióque propinqua, ſedentem
Affari placidis cœpit Diſcordia dictis.
Æole cui pelagi conceſſum iura tueri,
Imperio cohibere vagos ſub carcere ventos,
Frænáque recluſis laxare furentibus Auſtris;
Ad te confugio, & ſupplex tua Numina poſco.
Per ſtygios latices, per inhoſpita flumina Lethes,
Per nimium vicina tuis Acherontia regna,
Diſſice Gallorum violento turbine Molem,
Elata ceruice iubas, quæ tollit in vndis,

Et tua faſtoſo deludens iura tumore
Machina Fatalis Rupellæ triſte minatur
Exitium, triſtémque necem, dirámque ruinam.
Regia res fuerit lapſis ſuccurrere rebus,
Numinis æquorei, miſererier æquoris Vrbis.
Da precibus quod mœſta peto, da Ditis in vmbris
Per te regnandi ſceptrum, legéſque ferendi.
Fac ſartum, tectúmque ſiet, firmúmque vireſcat
Tempus in omne, mei Caluini flebili regnum.
Sic effata faces arſuras flumina, & æquor
Pectus in Hippotadis penitus contorquet. at ille
Combuſtæ Phlegethonte facis dum concipit ignem
Æſtuat impatiens, reſponſáque reddit, & inſit.
Siccine turbatis Rupella pericula rebus
Cogitur infelix admota mole ſubire?
Siccine ſecurus fixis radicibus Agger
Gallorum, noſtra tumidus ſe iactat in aula?
Sic noſtris inſultat aquis? ſic Numina temnit
Æquoris, & rapidis luctantes æſtibus æſtus,
Oceaníque minas, ventoſáque regna furentum?
Hunc ego, ſed cordis præſtat compeſcere motum,
Ire ſcelus tantum nunquam patiemur inultum.
Sic dicto citiùs ſurgit. fremebundus ab antris
Armatas hyemes, & flabra minantia flabris
Impete fulmineo mittit. cœpere procellæ
Iraſci ſcopulis, montéſque inuoluere aquarum,
Et leue ſpumoſis horreſcere fluctibus æquor.
Stagna refuſa vadis agitantur, murmure ſæuit
Tempeſtas, ſpumáſque ciet, quaſſáque carinas,
Incumbí. que Notus pluuia rorantibus alis.

Africus infestat vesano flamine Molem,
Quadrifidáſque ſudes; & acuto robore vallos
Pertentat Zephyrus, vastáque voragine gurges
Obuia prosternit, prostratáque turbine voluit.
Eurus in oppositum latus ingruit, hæret, & vrget,
Pérque trabes, ramóſque furens, quercúſque ligatas
Frangere conatur seriem compage soluta.
Stat tamen immoto nitens fundamine Moles,
Irato qualis Rupes infixa profundo
Impulſos rumpit magno molimine fluctus,
Ore minax, ceruice ferox, & fronte superba.
Murmurat interea pelagus, dissibilat aër,
Dant sonitum longè scopuli, caua littora plangunt,
Succutitur tellus, immania saxa rotatu
Dissiliunt, Molisque petunt velut Ariete costas.
Bellica non tanto crepitant tormenta boatu
Visceribus postquam conceptus Mulciber aris
Erupit pastus viuacia sulphura flammis.
Nec tonitrus tantùm, vibratáque fulmina cœlo
Nubibus emittunt collisis igne fragorem,
Æolus vt misit per apertos montis hiatus.
Vidit ab ætherea rerum qui flectit habenas
Arce Deus, risitque feræ conamina Laruæ,
Vanáque bacchantis spreuit molimina Venti.
Accitur Michaël princeps, ductórque manipli
Aligerum summi qui Regis iussa capessat,
Et ferat edoctus quæ sint mandata Tonantis.
Vt stetit ante, genu curuato, Numen adorat:
Ad quem tum placida qui sidera fronte serenat
Maiestate tonat, dictíſque arcana reuoluit.

Gallica Regna tibi Michael ſunt tradita curæ,
Gallus in aurato te præfert torque domantem
Impia Luciferi ſerpentis pectora telo.
Protege tu Gallos, vltor tu ſurge labantis
Molis, & vt Cuſtos noxas, & damna repelle
Dilecto nobis nimium pendentia Regno.
Quare age, rumpe moras, & colla ſuperba rebellis
Rupellæ ſubmitte iugo, ſubmitte minaces
Ventorum ſtrepitus, & ponti comprime fluctus:
Diſcat vt impietas, ſcelerum fabricator & hoſtis
Indomitum nihil eſſe pio, nihil eſſe timendum.
Id vigilis Regis probitas, virtúſque merentur,
Id mores, id nota fides, id poſcit & ardor,
Quo ſibi conciliat noſtrum LVDOVICVS *amorem,*
Maturóque regit iunctas moderamine gentes.
Quem propter geſtis clarum iam rebus, & armis,
Faſcibus, & trabeis fœtum, fœtúmque trophæis,
Fœderis Italiæ, pacíſque perennis amantem
Aſtra per & Cœlos ducam, medióque receptum
Agmine Cælituum, ſecreta in ſede locabo,
Quam numeroſa cohors ornât Borbonia Regum,
Et qua ſtelliferi ſe Regia iactat Olympi.
Dixit. & extemplo panduntur limina Cœli,
Atria perpetuo lucentia Sole renident,
Intimáque apparent celſi conclauia tecti
Deſcenſum teſtata ducis Michaëlis ab alto.
Deuolat hic agili labens per nubila curſu,
Remigio alarum circum ſecat aëra fuſum,
Geſtat & aurata ſub acutum cuſpide telum.
Explicat in niuea flauos ceruice capillos,

Quos adamante rigens refrænat Cassis, & ornat
Sidereis redimita iubis. lorica coruscat,
Et Crucis in clypeo fulgent victricia signa.
Jam celeri lapsu cælestia liquerat astra,
Venerat & campos, queis Rex tentoria Gallus
Fixerat. vnde mouens circumflua milite Castra
Replebat nimio fractos terrore Rebelles,
Nunc pedes assistens pediti, peditúmque cateruis,
Nunc eques in turmis, structi nunc agminis auctor,
Primus in ancipiti tentare pericula pugna,
Par animo Patri, maior felicibus ausis.
Cùm subitò Michaël diuinæ cuspidis hastam
Exerit, impulsos pluuiis qua mitigat amnes,
Qua mare, qua ventos, iratáque flumina frænat.
Alitis aduentu superi, perterrita cedunt
Nubila, clarescit Phœbus, tenebrísque fugatis
Castra serenato lustrat iactantior ore.
Æolus antra fuga perturbat, carcere ventos
Claudit in obscuro, vinclísque coërcet in arctis,
Pœnitet & tantis agitasse tumoribus æstus.
Rupibus Oceanus domitus iuga ferre docetur,
Littora mitescunt, seruántque silentia terris,
Et rabiem deponit hyems, deponit & æquor
Vertice spumanti tangentes nubila fluctus.
Lætior hinc factus deuota mente fatetur
Numen adesse Polo missum LVDOVICVS, *& inde*
Perdomiti pelagi causam cognoscit. in hoste
Pulsari pauida cernit formidine pectus,
Ac sibi victori Rupellæ mœnia pandi,
Et gestire iugo legum supponere colla.

Miratur

Miratur miles mauortia protinus arma
Frondibus enatis animari, tela virere,
Et lituos clangore nouo Pæana ciere,
Roſtra per & Claſſis, per & Aggeris ardua naſci
Gramina bacchais hederæ commixta corymbis,
Inſignem IVSTI *palmam teſtantia Regis,*
Quo vigilante fuit maior victoria nulla,
Aut hominum votis optatior extitit vmquam,
Hinc Cruce purpurea radiantia, ventilat aura
Signa, coronato floreſcunt LILIA *crine,*
LILIA *tot faſces, tot congeſtura triumphos,*
Quos referent ſeri tanta de ſtirpe Nepotes,
Regia ſeu ſoboles, ſperatáque pignora Mundo,
In quibus æternum ſeruabit Gallia Regnum.

LVDOVICO XIII. IVSTO,

Galliarum Regi Chriſtianiſſimo.

EPIGRAMMATA.

GALLVS *vt indomitæ Rupellæ cornua frangat,*
Extructo refluas, aggere frænat aquas.
Obiicit horriſonis ingentia ſaxa procellis,
Audet & Oceano ſcribere iura mari.
Imperat vndifragis ſcopulis, ventíſque minatur,
Surgat vt in tuto machina iuncta ſalo.
Hinc diſploſa ſuis, gelidos tormenta Britannos
Infeſtant flammis, dilacerántique globis,
Bellica ſulphureis conceptis ignibus æra,
Arctois ratibus damna cruenta ferunt.

Quid miror Xerxem transisse per auia classe,
Vastáque militibus consolidasse freta?
Vnus in obsessos LVDOVICVS *dissita iungit,*
Cui mare, cui tellus, militat æstus aquæ.

ALIVD.

SVDAT *Alexander Tyria Pellæus in arce,*
Arbore congesta dum maris vrget aquas;
Sudat in Oceano LVDOVICVS, *& aggere ducto*
Ostia Rupellæ claudit aperta mari.
Et decuit Regum sudoribus ora rigari,
Vt MAGNI *nomen victor vterque ferat.*

AD RVPELLAM.

QVID *geris elatos animos Rupella rebellis,*
Temnis & inuicti Gallica sceptra Ducis?
Quid moles, quid tecta struis, quid mœnia condis,
Armáque militibus conscelerata paras?
Vnde Caledonios tentas excire Britannos,
Ignibus & fœtas sollicitare rates?
Pone truces animos, tumidos depone furores,
Et placido supplex oscula fige pedi.
Sunt Galli, sunt arma tui iustissima Regis,
IVSTVS *adest Victor, tu nisi iusta feres.*

ALIVD.

FVLMINIBVS *quondam Babylon: Rupella pera-*
Aggere, Gallorum concidit ense Ducis.
Vtraque in exemplum mansura rebellibus armis,
Vtraque diuinam non tacitura manum.

RVPELLA CAPTA.

VRBS Regum impatiens, & ſanctæ neſcia legis,
Quæ Rupella vocor, populos tutata Rebelles,
Semper fœta malis, Solers nutrire furores,
Hactenus incubui patriæ Regníque ruinis;
Ipſa faces, ipſa arma parans, incendia, cædes,
Et tandem accitis ad tertia bella Britannis.
Nunc auſis deſiſto meis, poſitíſque furendi
Artibus, inuiſæ cogor ſubſcribere paci.
Eripit arma fames, vana ſpe ludor inanis
Auxilij, ſtipatur iter terráque, marique;
Vna mihi metuenda lues, capitalior hoſtis,
Abſorbet validos, depaſto milite, ciues,
Semiſepulta iacent, inhumatáque corpora paſſim,
Vt prope iam vacuis deſit cuſtodia muris.
Cætera quid taceo? plebeia ſæpe coorta
Seditio, duri obiurgans incommoda belli,
Me conſternatam ſtudia in contraria ſcidit.
Sed quid cuncta queror? potuit quæ maxima virtus
Eſſe, fuit, nihil, heu, penitus fortuna, nec artes
Defecere meæ, miſeram dolor vnicus angit,
Et deſperatis vrget fata vltima rebus.
Heu pudet effari, pudet heu tua facta, Britanne,
Prodere, qui tot opes, qui tot priuata meorum
Commoda iactaſti rapidis ludibria ventis;
Ecquid enim, veſane, tuis cunctaris in armis?
Quid noto inſtructum ſuſpendis in æquore martem?

Anne procul ſtantes votis interficis hoſtes?
Mars tuus in pactis, ſat te Inſula Rhea ſubegit,
Téque tuo terrent nutritæ ſanguine fruges.
Sic me priuatim tentata pace relinques
Hoſtibus irriſam? mihi ſic illuſeris ipſe?
Non eris auxilio miſeræ? nec littora tanges
Noſtra, nec armatas acues in bella carinas?
Proh facinus! proh turpe nefas! proh numen! abibis?
Obſtructúmque ſines cumulatis rupibus æquor?
Nec ſaltem, excuſſa ratibus ſtrue, ligneus obex
Corruet, irato pelagus cùm refluit æſtu?
Deeſt animus, vidi heu vidi, ſunt lignea tantùm
Auxilia, & noſtræ teſtis cupis eſſe ruinæ.
Lignea Claſſis abi, generoſi neſcia Martis,
Puppibus accenſis tantum luſura per vndas.
Claſſis abi, ſic flabra fidem, ſic æquora fallant,
Vt fallis ſcelerata meam, quæ à vulnere primo
Non redis ad pugnam, fuit hæc tua gloria ſemper,
Hique tui reditus, decantatique triumphi.
At vos ô ciues, mea quos diſcrimina tangunt,
Ponite ſpes ſibi quiſque ſuas, mea cauſa peracta eſt,
Nec datur vlterius ruituram extollere molem
Crimine victa meo, capior ſine vindice præda.
Ipſa tamen, ſi quæ in tantis ſolatia damnis,
Me deſolatam leuat indulgentia Regis
Vana Caledoniæ riſuri prælia gentis.
Hoc opus eſt, LODOICE, *tuum, quod nulla poteſtas*
Viribus ediderit iunctis, & bella ſuperſunt
Quæ victor maiora geras, clarúſque trophæis,
Quotquot geſta, dabis totidem miracula mundo.

Te quoque iam ſenſi, ô factis, animíſque verende
RICHELIE, *exhauſtis rigido qui Marte periclis,*
Vrſiſti in noſtras cunctantia fata ruinas.
Has teſtor moles, hæc conſtipata fluenta,
Has arces, hæc valla meis circumdata muris,
Et quodcunque mihi nocuit, non tempora noſtra
Has dederant artes, tibi nec pugnauerit ætas
Vlla patrum, tanto ſe Gallia iactet alumno.

ANONYMVS.

RVPELLAE IACENTIS
MONODIA.

ILLA ego, *Sanctonicos inter celeberrima portus,*
Oceano ditante ferox, penitúſque repoſtis
Reſtagnata locis, quam totis mercibus implent
Et maris Eoi claſſes, vel Iberica quondam
Præda, per ardentes pro libertate Batauos.
Cui quidquid vario per tot diſcrimina curſu,
Orbis hiat, plenis dederat mihi claßibus ALBIS.
Sed tot fœta malis, fluctúque inflata ſecundo,
Sacra aliena colens, CALVO *ſtillante furorem*
Poſt habui deluſa Deum, veteréſque piorum
Eraſi cultus, morem acceptura Gebennæ,
Regna inuiſa mihi, CORPVSQVE IN CORPORE TENTANS
Aggeribus confiſa meis, nec legibus vllum
Nec regno, turbata dedit reuerentia cultum.
Non iuſſis ceſſura tuis, Rex CARLE, *nec armis*

Tunc HENRICE *tuis, pellitus Sarmata, cum te*
Varſouiæ in campis, ad Martia ſceptra vocaret.
Hinc mea me fortuna rotat, facilíſque ruinæ
Libertas; vano populi raptata tumultu,
Deferor in præceps odiis furialibus, & nil
Imperioſa fugit nutrix diſcordia belli.
Quid referam ſocias, etiam per crimina gentes,
Juratámque fidem, quâ me vel callidus Heſper,
Æmula vel titulis voluit ſuperaddere Thule?
Dij quibus iratis creui, ſuccurrite tandem,
Aut pœnæ mutate genus, ſi fata requirunt
Vltima, mórſque meis inſtat, iam Solis habenæ
Quindenos voluunt menſes, ceruicibus ex quô,
Hæret triſte iugum, totóque illudimus orbi,
Nec victor me miles habet: non conſcia mortis
Pectora in hoſtili redimunt ſua vincula ferro.
Damnor morte nocens, cogórque ad crimina menſæ
Et letho grauiora pati. Quid lingua retentas,
Aut reſerare pudet facinus, quod ſæcula damnent
Omnia, quódque olim contracto turbidus ore
Horrebis quicunque leges? meliúſque tacebis?
Namque abſumpta Ceres, ad triſtia pabula poſtquam
Compulit, & paſtas crudis radicibus herbas,
Poſt ſtramenta, nihil fœdum ſibi venter inanis
Cenſuit, obſcænoſque canes, & viſcera equorum
Eſuriens, cumque hoſte, dedit feruentibus vndis
Eductos cæcis mures bullire latebris.
Inuertit natura modos, ſpoliúſque ferarum
Subſtituit tremefacta vices, quas redderet aluo,
Vt qui poſtremos orabat calceus artus,

Paſceret adſtrictos ſeuo macerante meſentres.
Quid lacrymas fundis, paruos crudelis in artus,
Et ſortem excuſas? laniandíſque oſcula membris
Imprimis? Hæc pietas Hircani pectoris, vſquam eſt
Inuentura fidem? Superabat copia lethi
Tanta rogos, nec plus congeſta cadauera, foſſas
Accipiunt: pars magna iacens, neglecta ſub ipſo
Æthere deſeritur, cœlo condenda vel hoſti.
Heu facies miſeranda loci! fluitantia collo
Paruulus infœlix, miſeræ inter brachia ponens
Optat opem matris, fruſtráque arentia ſugit
Vbera: poſcit opem coniux, defecta mariti
Viribus, hic alios rigidâ conſiſtere terrâ
Exanimes alios, ægrè ſuprema mouentes
Labra, vel extremis ſingultibus exhalantes.
Scilicet hæc titulis ſeruata eſt laurea IVSTI,
Hæc fronte LODOICE *tuæ, quem bellicus ardor*
Et pietas, paribúſque animat Clementia fatis:
Ceſſerunt Elementa tibi, muróque ſubactus
Subſtitit Oceanus, tibi cœlum ſplenduit vni,
Frænatique vltrò ſubierunt carbaſa venti:
Et tanti cecidiſſe fuit, nam victa reſurgo,
Nobilior reddenda malis, cùm maxime Princeps,
Hoſtis qui fuerat, ciuem vis eſſe, nec vltrà
Deſæuit campos duri inclementia Martis,
Vt qui odijs fuerat, poſitus ſit terminus armis.
Sed quid feſta moror, lætáſque in frondibus aras,
Templáque cœpta coli? quibus ex hac diuite præda
Reſtituis iam victor opes, quas barbarus ardor
Diripuit quondam, cœlo & tu ſancte reponis

Quod tuleras cœlo : Nam cùm te , milite cultu
Vidimus æternę ſectantem fercula pompæ,
Vndantéſque vias tædis , ſanctóque madentes
Flumine , diuinos ſtillis gemmantibus orbes.
Cùm pius intentâ miles prece , ſtaret ad aram
Luderet vt iunctis diuina Epinicia palmis ,
Viciſti ô Pietas ! tua ſit victoria cœlum,
Qui vincis LODOICE *Deo? quid tendimus , inquam,*
Arma inimica Cruci? cui pax hæc prima triumphi
Ducitur in victos ? Vos ô quibus vlla reſedit
Cura boni , quos & certo è diſcrimine ſortis
Eripuit dextris cœli Clementia fatis ,
Albani montes , & tu malè ſana Nemauſus
Piſcoſo fœcunda lacu , Caſtrúmque remotis
Qui colitis terris : vos ô quibus vltra ruendi
In ferrum mens prona viris , animoſa Cebenne ,
Accipite hæc animis , diſcántque in ſecula gentes ,
INDOMITVM NIHIL ESSE PIO , TVTVMVE NOCENTI:
Extruite inſanas ſcopulis minitantibus arces,
Cingite vos toto , quaquà in ſe confluit vſquam
Oceano , vaſtas terrarum opponite mòles,
Omnia ſubſident meliori peruia cauſæ ,
NEC DABITVR MVRVS SCELERI : *neque prima fatiget*
Libera vox , ſed vera tamen : Fœlicibus auſis
Senſimus armatæ cœleſtia pondera dextræ.
Fœlix culpa fuit , quæ te tentante laborem
Non auſum , magno tranſacta ad ſæcula Marti
Nec rapidos æſtus , Brumæque extrema timentem,
Victrici cinxit Regalia tempora lauro,
Et tandem ad ſeros eſt tranſmiſſura nepotes.

Terra-

Terrarum cœlique decus, tanti arbiter æui
Proloquar, an ſileam? nùm vel clamantibus actis
Fas eſt vera loqui, vel te præeunte ſilere?
RVPELLÆ *non tota tua eſt victoria, Princeps,*
Pars eſt vna LOCO *genitum quem* DIVITE *myſtæ*
Anxia ſollicito præſtat natura labori,
Cuius conſilio curiſque ingentibus omnis
Gallia, tantarum debebit præmia rerum.
Altior ipſe licet terrâ, virtutibus extet,
Pectoribus noſtris pompâ meliore, triumphans.
O fœlix, quem fracta vocet RVPELLA *parentem,*
Quam pœnæ immanes capitis, quam ſæua manebant
Supplicia, ſperare iubet: Sed denſior iret
Geſtorum ſeries, ſi tot miracula mentis
Edicenda forent, laudúmque ſequentibus vndis
Obruerer, releuanda magis: Nam præmia non tam,
Quàm labor ipſe iuuat Regni, cui prodiga ſoli
Infudit virtus, alios diuiſa beatos
Quæ faciunt, mihi nota loquor, quod ſe omnibus vnum
Obiicit, inueniens animo quæ mente gerenda,
Efficiens patranda manu: Quem dibapha non tam
Conueſtit ſacrata Deo, quam DIVITIS *oſtri*
Lumine, perpetuum famæ eſt bibitura colorem.
Proximè Dijs Præſul, vaſto qui proſpicis orbi,
Quô nihil in terris complectitur altius æther,
Cuius nec ſpatium viſus, nec corda decorem,
Nec laudes vox vlla capit, concedimus vltrò
In laudes, victi, gentiſque opulentia cedet
Virtutum titulis; olim meminiſſe iuuabit,
Nec cecidiſſe pudet, queis par victoria damno eſt,

Et cresco per damna, vlmus velut icta bipenni,
Porrigit expansos, melior per sydera ramos,
Altior exurgens solitò; fœlicior ibam
Angustis opibus: Sed nunc verso ordine rerum,
Reddentique animum cœlo, remeare licebit
Ad veteres culmos, & prima mapalia terræ
Vomeris innocui cum scissa ligonibus, vllum
Non daret vlla suis lex non seruata timorem.
Sed Latios cultus veterum documenta parentum
Et coleret pietas & conseruaret honestum;
Sic MAIOR, *spectanda* MINOR, *nam fallitur omnis,*
Fallitur, egregio quisquis sub Principe credit
Seruitium, NVNQVAM LIBERTAS GRATIOR EXIT,
QVAM SVB REGE PIO, *qui Gallica lilia mundo*
Asserit, in toruo statuens sua Signa LEONE.
Macte animo LODOICE *tuo, noua gaudia surgunt*
Palmarúmque seges, non quas victoria tristis
Excutiat fere VOLCA *tibi, domitúsque* CESERO,
Adiunctúsque tuo post tot sua funera TARNVS
Imperio, te Alpina vocat fortuna, tuúmque
Prouocat infelix toties Insubria Martem.
Pœninis duc arma iugis, sessóque Casali
Intonet offensus meritò tua classica miles,
Promissam Gonzaga tibi, socialibus armis
Transmissurus opem, vel Mantua sceptra daturus
Tempus erit post hæc, cùm Nili cornua, victor
Aggrediens, captæ & spoliis Babylonis onustus
Imposítas rumpet, te sic statuente, cathenas
Palæstina miser, Pueri in cunabula Christi
Et palmas morientis habens. Tunc cuncta sequetur

Tellus te, variis ſcribent in floribus horæ,
Longáque perpetui ducent in ſæcula faſti.

C. M.

DE RVPELLÆ EXCIDIO.

DIVES *opum, ſed clara meis Rupella ruinis,*
Tot claſſes, aciéſque tuli, tot ſola furores
Suſtinui; cùm niſa meos ſubuertere muros
Gallia, & Hiſpanus prætexuit æquora Claſſe:
Non victum ceſſiſſe malis, ſed mœnia tutam,
Diſparibúſque armis, toties retuliſſe trophæum
Laus æterna fuit; donec LODOICE *ſuperbum*
Contriſti virtute caput, ſæuique Britanni
Suppetias, trináſque eneruaſti obice claſſes.
Tu ſolus peragis, quod tot nequiêre Monarchæ,
Duritiémque foras, quæ magnis inuia ſemper
Principibus fuerat, penitúſque liqueſcere Rupem
In lachrymas cogis: ſceleris nam ſupplice fletu
Pœnitet, & tanti Regis mouiſſe furorem.
Tu pater & victor, ſed quam ſubuertere victor
Belli iure potes, patrio ſeruabis amore.

IDEM.

IN RVPELLAM A LODOICO XIII. CAPTAM.

ODE.

AVDAX & altâ mente paratis
Regina Clio, dic age gentibus
Narranda longinquis, & olim
Perpetuis memoranda ſæclis.

Æquata campis, Dic age mœnia,
Dic contumaci fræna ſuperbiæ
Iniecta tandem, Dic ſubactos
Borbonij Auſpiciis rebelles.

Ceſſent Atridem carmina, vel vafrum
Sonare Vlyſſem, aut bella ſub Ilio
Pugnata, quæſiti per annum
Suppudeat decimum triumphi.

Regis labores Liligeri ſonent,
Et purpurati principis vtiles
Curas, & adiutam fugatis
Segniter auxiliis Ropellam.

Senſit Rebellis, quid ſuperis valet
Amica virtus, quid generoſior
Sanguis, quid inuictus Monarcha
Conſilio meliore ductus.

Prætenta vidit mœnia mœnibus,
Celſáſque turres turribus additas,
Mirata ſurgentem Ropellæ
Oppoſitam pariter Ropellam.

Expauit vndis Clauſtra frementibus
Stetiſſe contra, ſpémque ſuæ vltimam
Fleuit ſalutis concidiſſe
Oceano famulante Regi.

Quin & ferentem ſuppetias ſibi
Spectauit Anglum, ter celeri fugâ
Vertiſſe Victrici caterua
Terga, mari exagitanda toto.

Dixítque tandem perfida Ciuitas
Laſſata fatis, hactenus hactenus
Laus omnis, & fortuna noſtri
Nominis interitura vixit.

Nil eſt labori difficile improbo,
Labor furentes Oceani impetus
Olim coërcet, turriúmque
Æqua ſolô capita alta ponit.

ANONYMVS.

ODE.

IAM pauca vires mœnia regias
Tandem morantur, iam vndique latius
Excisa surgent Insularum
Saxa solis & vbique laurus.

Vincet myricas; læta frequentia,
Dum per Bearnos, Sanctones, Angliam
Plantantur almis LVDOVICI
Auguriis, facilique dextrâ.

Tum parta ramis palma virentibus,
Defendet ignes seditionibus
Pridem probrosis excitatos,
Quos vomuit rabiosa Rupes,

More & mŏdo Ætnæ: nempe Typhoëa
Illic sepultum, non bene Iuppiter
Noster pio planè cecîdit
Plus reliquis generosus ictu.

Nam quem pusillo puluere texerant
Reges priores, atque solo & salo
Oppressit insignis labore
Herculeo LODOICVS ignem.

L. C.

CHRISTIANISSIMO REGI

LVDOVICO XIII:

IVSTO, PIO, FELICI,

TRIVMPHATORI, SEMPER AVGVSTO,

Pro Rupella fœliciter expugnata.

EPINICION.

VICTOR *Io, turres ſcelerum* LODOICVS *ahenas,*
Errorúmque pharos, cœlóque minantia ſaxa
Eruit, & iuſtis attriuit funditus armis.
Vicit, & infamem violato fœdere claſſem,
Periuróſque, mari cœlóque fauentibus, Anglos
Perculit, & pacem trepidos orare coegit.
Felices populi, placidos quibus aurea ſoles,
Et cœlos ætas melior promittit amicos,
Plaudite, ſecurique nouos decernite paſſim
Imperio, meritíſque nouæ virtutis honores.
Vicit Io, plebique iugum, frænóſque furenti,
Et faciles legum poſuit LODOICVS *habenas.*
Nunc Francis aſſerta quies, nunc diuite fato,
Poſt inteſtini ſedata incendia belli,
Nobilis æternam potietur Gallia pacem.
Ecce ferox, populíque caput deforme Rebellis
Occidit, & terram infelix Rupella momordit.
Illa quidem falſum cœli mentita fauorem.

Hactenus, & pelago latè dominata tumebat;
Nec Reges venerata suos, nec iura, feroces
Semper acerba minas, semper noua bella parabat.
Sed totas miseræ Regum Iustissimus artes,
Audacésque animos, euulsáque cornua fregit.
Ille feram caueis, positó circum aggere, plebem;
Et sontes arcto populos in carcere clausit:
Ille latrociniis infame frequentibus æquor,
Oceanique reos fluctus in vincula misit.
Ille rebellantem toties, & Regibus ausam
Insultare suis, terráque marique mouentem,
Et sua periuros armantem in viscera ciues,
Externásque acies Austro, Boreáque vocantem
Contudit, & propriis Hydram compressit in antris.
Nunc alia, & casu melior Rupella beato,
Ante tuos abiecta pedes, & nobile collo
Passa iugum, supplex veniam LODOICE *precatur:*
Verbáque deuotæ fidei solemnia iurat.
O quantâ Matris, quantâ dulcedine castæ
Coniugis augustas mulcent noua gaudia mentes,
Cùm celer, & leuibus veniens eques incitus alis
Diuinos apices, mandatáque regia perfert.
Et totam obsidij faciem, castelláque circum,
Et positos vndis obices, syluásque natantes,
Implexásque trabes, deiectáque saxa profundo,
Demersásque rates memorat, tenuique labores,
Et vastas operum moles in puluere signat.
Inde Ducum fontes Anglis instantibus ausus,
Et curas operosè tuas ARMANDE *recensèt,*
Felicésque dolos. Regémque in Cardine tanto

Omnia

Omniæ fatalis verſantem pondera belli.
Mox captiuorum illuuiem, deformiáque ora,
Squallentéſque genas populorum, aluóſque tumentes,
Inſanámque famem, maciémque ex ordine pandit.
Regales animæ, lenti quibus anxia belli
Sollicitas merito dabat expectatio curas,
Et cupido mora longa metum faciebat amori:
Nunc trepidos vultu populos hilarate ſereno,
Et mundo nitidos oculis accendite ſoles.
Vicit, & Heroo frontem ſudore decorus,
Pulueréque adſperſus faciem LODOICVS *honeſto,*
En redit, & paribus vobis fert oſcula votis:
Atque triumphato curis ingentibus hoſte,
In veſtro decus omne ſinu, lauróſque reponit.
Atque vtinam victor, felici munere, caſtam
ANNA *dato Delphine tibi Rex augeat aluum:*
Et pulchrâ faciat complexus prole parentem!
O fauor! ô nullis hominum impetrabile curis,
Sed tantum ſupetis, & amico numine dignum,
Nec tibi, nec Regi ſatis vnquam optabile donum!
Hoc tamen & noſtris depulſa iniuria Templis,
Et defenſa Fides meruit; meruere labores
Principis: & Magnæ pietas digniſſima Matris,
Venturóque Pudor tuus admirabilis æuo,
Et Morum tenor innocuus meruere tuorum.
Hoc patriæ, populique ſalus; & candida Regni
Poſcit Hugonotis facies admorſa colubris:
Ciuilique diu turbata negotia motu,
Et dolus externo ſemper metuendus ab hoſte,
Armorúmque furor, fraudúmque pericula poſcunt.

Hoc etiam voto Proceres, plebéque fideli,
Et quicquid toto sociorum est orbe precantur.
Vt stet securo Spes publica fundamento,
Liliáque æternis durent suffulta columnis.

V. TH. è Societate IESV.

LODOICI XIII.
FRANCORVM ET NAVARRÆORVM REGIS CHRISTIANISSIMI

Expeditio in Italiam, pro CAROLO DVCE Mantuæ, VIII. Montis-Ferrati VI. & Niuernij.

CARMEN I.

QVÆ noua successit ratio, quæ causa subortæ,
Aut quæ pacta ratæ pacis violata malignè,
Francigenas acies Italo acciuêre labanti,
Expediam; Tu præ manibus cui corda reposta
Magnanimûm Regum, & populorum flectis habenas,
CHRISTE faue, faustóque tuo da Flamine ferri.
Regna quidem Italiæ, Francorum Regibus olim
Legibus armorum, sed non sine numine cœli,
Communíque hominum voto dominata fuerunt.
Fatáque pro genio Regum cecidêre vicissim
Læua modò, & modò fausta, sibi alternantibus armis:

Quæque Valesiadis possessa Heroïbus antè
Franciſco, Henricóque, iugi trans culmina celsa
Alpini, cliuúmque reuellere nullus iniquæ
Bellonæ euentus valuit, Philibertus adulans,
Carlo regna ineunte, vafrâ demessuit arte:
Consiliisque bonis seruata & sanguine multo,
Hausit iniqua dies, & tradidit vna Sabaudo.
Tempore ab hoc Itali fines ac oppida, Francis
Regibus intentata diu mansêre quieta,
Donec ab Henrici Terni patiente Sabaudus
Nil genio sibi triste timens, ac tempora captans
Apta, Salussinas inuasit Carolus arces.
Succesſere breui Francis ciuilia bella,
Libera queis est facta Duci, ac indulta potestas,
Et firmare nouas sibi opes, raptóque potiri:
Ast vbi Borbonidis placidum Regalia Numen
Sceptra tenenda dedit, non talia passus inultè
Henrici mens alta, Ducem sed Marte coëgit
Et pacem rogitare, & iussa capessere victum.
Nec tamen vlla quies aussis Ducis, ac sibi tuta
Cuncta putans morte Henrici, & ciuilibus armis
Quæ LVDOICVM *agitant, quoquò se vertat, acerbè,*
Francigenûm sceptri notos adoritur amicos.
Quos (veluti laceras naues furiosa procella
Absorbêre parat, diríque euertere ventis,
Quàm prius appellant terris, & littore capto
Deponant nautæ madidas salsugine vestes,
Atque rates ferri morsu firmentur aduncis
Sedibus eiiciat, Regni dum robur, & omnis
Militia incumbit veteres domitare rebelles,

Pro quibus Oceanus pugnans, & Doride cincta
Regna Britannorum Franco bellanda fuerunt,
Lexque dari Oceano, pellique bis hostica classis,
Et cecidêre suo Mauortia victima Regi
Numinis auspiciis, à quo Sol iussa capessens
Sol cursu leuior, famæque citatior alis,
Ipse vnus locuplésque tot inter sidera testis
Prælia Liligeri Regis vulgare per orbem
Paruit, & populos Nereus quos vndique nostris
Vndique quos dirimit terræ distantia regnis
Quæ vidit, longè latéque effudit in omnes.
Sed satis est lustrasse feras, Sol inclyte, gentes
Francigenaque Ducis narrasse ingentia facta.
Flecte viam Occiduos versus, pete Francica regna.
Vix humeros chlamyde exuerat, vix casside frontem
Rex LODOICVS, *honos Regum, spes fertilis Orbis,*
Séque Lutetiacæ plebi cum principe pompâ
Spectandum dederat, lætum pæana canenti,
Auratáque domo residebat ad otia victor,
Dum cœlo desæuit Hyems, Zephyríque tepentes
Relliquias belli brumâ frigente doloso
Suppositas cineri, restinguere Marte dedissent,
Vere nouo statuens in eos distringere ferrum
Mandatis quicumque suis parêre recusent.
Vrnigero sed adhuc frigebant sidera Signo,
Suppetias veniat cincto obsidione Casali
Dux rogitat Regem Carlus Gonzagua Niuernî,
VINCENTIÆ *cui morte Ducis ius vrbis opimæ*
Lambit olorifero cui mœnia Mincius amne,
Celsáque Ferrati cesserunt pergama Montis.

Quémque gradu propiorem & sanguinis ordine primum
Hæredem instituens Princeps Vincentius vnum
Primigeno illius dederat pro coniuge neptem.
Inuidit sed Iber propè se tam grandia Franco
Incrementa viro, & totum spe deuorat orbem,
Vicináque ægrè patitur succrescere vires;
Suscitat imperitandi auidum, vanúmque Sabaudum,
Qui lites bis dena mouens post lustra diremptas
Non stet dictatis à Carlo Cæsare quinto
Iudiciis, quibus hic, postquam festina tulerunt
Fata Palæologos, Ferrati mœnia Montis
Gonzaguæ addixit Domui, renuente Sabaudo,
Qui quas iure nequit, bello sibi vendicat arces,
Cúmque Niuernensem Francorum marte tuendum
Nosset, in ambiguo est quid agat, tamen vna rebellis
Dat Rupella animos, sterni quam denegat vllis
Viribus, & Franci dominatum admittere sceptri:
Scilicet extructas circum vndique mœnia moles,
Immanésque operas, & saxis addita saxa,
Audierat, sociísque palam rata pacta Britannis,
Queis solidæ regni nequeant obsistere vires,
Omnia tuta putat, LODOICVM *at bella ciêre*
Debuerat meminisse (amens) Duce & auspice CHRISTO
Et sibi salua opibus nuper decora omnia Francis,
Ingratæque notam mentis vitare decebat.
Ecce igitur modò quos hostilia ad arma ruentes
Deflebant Itali, & populatas ciuibus vrbes,
Et quos post varios casus paccauerat ægrè
Pontificis grauitas, Francíque minacia Regis
Fulmina; conspirant iunctis ad prælia turmis,

Et dextras ſociant, ne quiſquam ſanguine cretus
Francigenâ, mediis Italûm dominetur in oris;
Regnáque Gonzaguæ Carli partitur Iberus.
Et ſpe Ferrati Montis depaſcitur arces,
Quod patitur tolerátque volens nolénſque Sabaudus,
Dummodo communi cedat ſibi Mantua marte.
Cæſar & agnati, fas præter, fautor Iberi,
Inueſtire Ducem dubia quaſi lite moratur,
Debitáque Imperio obſequio acceptare recuſans
Ferrato pro Monte, amborum à partibus hæret.
Gens fidei lapſæ ſeruandi neſcia Iuris.
At pius has fraudes & tentamenta maligna
Improbat, & dirimi VRBANVS *ſine ſanguine cauſam*
Suadet amans pacis. Cœli ſed nulla furentes
Jura mouent, non conſiliis manſueſcere dura
Corda valent, quibus armorum ſcelerata libido
Imperiúque ſitis, non iuſta capeſſere bella
Pellit, & occultis fraudes inuoluere pactis.
Scilicet egregiam laudem, famámque feretis
Auſtriadæ, longos quæ duratura per annos,
Affini cum Rege rebellibus arma mouente
Corde ſimultates ficto exercêre latentes,
Moliri inſidias, & duris rebus abuti:
At meminiſſe iuuet paulò poſt funera Magni
Henrici, lacrymis cum Francia tota maderet,
Pannoniam quantùm potuit ſedaſſe frementem
Miſſo vno Procerum nato de ſanguine Regum,
Qui ſermone graui veſtros perterruit hoſtes,
Pollicitos pacem, modò vos ceſſetis ab armis,
Et memorate olim (vos ô Dotalia ſceptra

Quos in celsa ferunt, quibus & sub Virgine nasci
Concessum, Austriadæ) vobis accessio cessit
Francâ quanta domo, quodque Archiducatus in vnâ
Vendobonâ vrbe prius, nunc regna assurgat in ampla
Fœmina quæ vobis Burgunda, è stemmate Franco
Ingessit, nidóque dedit distendere pennas,
Celsiùs efferri cunis, super æthera tolli.
Hinc fastus, grandésque animi, & tentamen Ibero
Oppressum iniustis orbem submittere sceptris,
Partim armis, partim laqueis pietatis & arte;
Francia ni sistat, nisúsque retundat inanes.
Albio quanta ferax saxoságque littus Ierne
Oceani refluis moles opponitur vndis,
Altiùs insurgit, ne cùm Neptunius æstus,
Belgica regna furens immanibus obruat vndis,
Francia ad Europæ regnorum commoda spectans
Tanta suis armis ausus effringit Iberos.
Ne libentur opes cuiusquam fœdere iuncti,
Et sua stet ditio Dominis immota vetustis.
Talia dum molitur Iber adstante Sabaudo,
Omnipotens Genitor, qui fas humanáque iura
Frangentes properè castigat, & excitat iræ
Vltorem ipse suæ, tandem respexit ad arma
Liligeri Herois, Rupellæ ad mœnia binis
Quæ tulerant annis, hostes, Thetin, Anglica vela
Mouit eum pietas Regis, quo iustior, alter
Non fuit à seclis, non obseruantior æqui.
Ergo iubet pictis auro Victoria pennis
Æthere ab excelso, Franca ad tentoria sidat:
Et ciues, Rupella, tuos, sociúmque Britannum

Impexa horrendos subeat Discordia crines:
Ilicet excedit mediis de nauibus Anglis
Vnanimis, sociósque inter fiducia concors.
Iurgia succedunt, queritur de Ciuibus Anglus
Conuentis cum Rege suo non sistere pactis.
At Ciuis rate vectus, opem patriæ dare pressæ
Feruidus, ignauæ formidinis arguit Anglum,
Quod cum Rege parùm instructo confligere tardet,
Ipse benè ornata qui personat æquora classe,
Diffidénsque suis rebus, confidere Regis
Natiui esse putat satius clementiæ & armis,
Quàm ruere imbellis timido sub marte Britanni.
Qui celare fugam reditus sub nomine tentans
Obsidibus pedicas, inimicáque vincla minatur.
Ecce igitur cinctæ præerat qui nauibus vrbis,
Secedit, propiúsque adstans in littore curuo,
Accedit supplex, Quo consultore mouetur,
Quo secura sedet totius machina Regni
Magnanimis Richelliadem conatibus aptum,
Seruitióque offert sese, & sua carbasa, Regis:
Ille Quirinali trabeâ sublimis & ostro
Excepitque hominem placidè. Dominique salutem
Nomine pollicitus, modò se, & turgentia iussis
Suppara submittat; sociúsque renunciet Anglis:
Paret homo dictis, classi sua vela Britannæ
Amouet, & gratus Regalia castra subiuit:
Ille dies nobis fulsit lætissimus vnus
Rupellanæ vrbis mox deditione secutâ,
Primitiæ celebris quæ cedet adorea Regi,
Déque Rebellantum reliquis, & Ibere sodali.

Nuncius

Nuncius intereà dimissus ab Alpibus altis
Aduolat, Italiam fremere & feruescere bello,
Hispanum cinxisse graui obsidione Casale.
Parte alia captas Albam, Trinúmque Sabaudo,
Et ruere oppressos Francis qui fœdere iuncti
(Si modo ab Italia fidi sperentur amici.)
Audiit intrepidus quicquid furialiter actum
Conspirata phalanx se contra orditur & audet.
Sensit quantus ei redeat labor actus in orbem,
Auxiliúmque parat LODOICVS, *& instruit arma,*
Dúxque sit ipse viæ (quid Rex Iustissimus, armis
Deneget oppresso, titulu & legibus æquis
Subnixo, indigenæque, & auorum sanguine iuncto?)
Et quod ius læsum nuper damnabat ab Anglo,
A Rege Hesperio sacris qui iungitur iisdem.
Vix credit. dubióque anceps percellitur æstu,
Accelerauit iter, compostisque vndique rebus
Belligero regale latus succingitur ense,
Frangat vt Hispanos fastus, ausúmque Sabaudi
Puniat, & ruptam repetat cum fœnore pacem.
Vt si quando inferre procul lacrymabile bellum
Romulidis visum Patribus, tum ferrea Consul
Limina Bifrontis Iani reserare solebat;
Nec satis hoc, foribus valuæ bipatentis apertis
Arduus imperio, sæuæ tendebat ad ædes
Bellonæ, hanc iuxta seclis extructa vetustis,
Bellica surgebat cognomine dicta columna,
Quam propè stans Consal numeroso milite cinctus
Adducta pilum vibrabat in aëra dextrâ
In quodcunque Orbis fuerant latus arma mouenda,

Siue manum plagam ad Hesperiam, seu Solis ad ortus
Seu sitientem ad Afrum, aut gelidas conuerteret Arctos
Et mora nulla, frequens Aquilis Romana iuuentus
Fit comes, ardenti via militis impete feruet:
Sic vbi consilio Procerum Rex Itala versus
Regna mouere parat bellum, Burgundáque liquit
Arua, satellitio cinctus, Rhodanóque propinquat,
Delphini dictas adiens de nomine Gentes.
Vndique conuenêre quibus sunt prælia cordi,
Conspirántque animis omnes, opibúsque parati
In quascunque volet bello deducere terras,
Nil veriti largos brumæ intractabilis imbres,
Alpinas nec Franca niues, nec frigora pubes
Horret, inaccessas Rege auspice transiget Alpes,
Tantus amor Regni vires insubribus aruis
Inuehere, & notis olim à Syrene sepulta,
Dictáque de veteri sibi subdere mœnia Iano
Regibus hæredis titulo quæ debita Francis
Hesperiâ fraudis titulo ditione tenentur.
Vt Turdus, viscúmque sibi, damnúmque parantis
Dux à Rege prior monitus sermone benigno
Fœderibus stare impositis, & sistere bellum,
Qui responsa dedit, sibi nil differre an amicum
Anne inimicum habeat Regem, quo vindice nuper
Vercellarum arces, sua Pergama, reddidit ægre
Nunc sibi iunctus Iber, cuius se viribus effert
Immemor ille fuit, quàm fortis & aspera bell
Francorum irritata semel sit dextera Regum,
Cum nihil immodicis niuibus, brumáque morante
Viribus exiguis Labaríque satellite solo

Henricus tota hunc pepulit regione Sabauda,
Et niſi Pontificis ſuaſu, totáque rogante
Italia, pacem victor, dextrámque dediſſet,
Alpinos vltra montes procul exul abiſſet.
Nec non ſenſit auus, patriis ditionibus olim
Ter denas hiemes profugus, quibus arte, nec armis
Vllis reſtitui potuit quàm Rege volente,
Francigenâ, capiti impendent ea fata nepotis.
Pace data regnis, altas tranſcendere cautes,
Alpiníſque iugis imponere millia tanta
Militis armati, quot Rex quicumque priorum
Oppida in obſeſſa, & celſas Vulcania in arces
Edita baliſtis excudere fulmina centum,
Atque æquare ſolo quicquid parere recuſet,
Non labor ignotus Regi, non ardua cœpta.
Quiſquis enim fuerit Rupellæ pergama menſus
Aggere multiplicis ſaxi, vallatáque celſis
Turribus, & lata norit faſtigia foſſæ
Millia belligerûm pluſquam vicena virorum,
Oceaníque feracis opum commercia crebra,
Et portum humanis vulgatum haud poſſe recidi
Viribus, auxiliúmque ferentes claſſe Britannos
Æquorei tractus Dominos, Maris arte peritos,
Viderit atque anno tot opes cecidiſſe ſuperbas,
Fræna Thetim paſſam, portum ſaxi aggere clauſum,
Terga dediſſe Anglos, nec Francis puppibus auſos
Conſeruiſſe manus, quamuis pro Rege parones
Obſtarent pauci, concluſos vndique ciues
Suppliciter pro vitâ & libertate precantes.
Mœniáque alta ſuis, turréſque à ſedibus imis

Corruere, & lapso complerier aggere fossas,
Quis non insanire putet noua bella mouentem
In tantum victorem animis armisque paratum,
Viuere tranquillè licuit cui fœdere saluo?
Ac nec brumali speret se sidere tutum,
Insolitúmque putet tolerare incommoda Regem
Frigoris, & gelidi trepidare immitia Cori
Flamina, qui didicit Magno à Genitore niuales
Ducere per cautes Martem, & frænare Sabaudos:
Non sua bella gerit Rex liliger, aut capit vrbes
Marte alieno, operáque Ducum, stat fortis in armis
Ipsemet, vt qui artes Bellonæ, ex vbere suxit
Et cirros galea premere, & fulgentibus armis
Scit læuare humeros, rutilóque accingier ense,
Et lustrando acies libycum gyrare frementem,
Perdius armari nullóque ruisse labore
Ipse agit excubias, & quémque ad munia mittit,
Fortiáque illius miratur pectora miles,
Cùm vanas belli Mauortius extudit artes,
Atque Duces ab eo reliqui castrensia discunt.
Quisquis es, indigenas qui cum LODOICVS *in hoste*
Irrueret, premerétque infidæ mœnia plebis,
Iactasti lapsurum opibus, miniméque daturum
Fræna rebellanti, portus munimine tutæ
Regis & innixæ peregrini viribus vrbi,
Qui de Liligero fecisti segmina Regno
Purpureos inter comites, conuiuiáque vncta
Proxima quisque sibi rapida quò mente vocaret
Anglus, Cæsar, Iber, & qui dat iura sub Alpes.
Arma citò, arma cape, atque nouis accingito dextram

Consiliis, properáque manu seu Regna tueri
Obsequio, prior aut pulchrâ de pace paciſci;
Non etenim quamuis Dux belli & causa Sabaudus
Celsa gigantæo plusquam conamine tentet
Alpina Alpinis inuoluere culmina clauſtris
Mole superpoſita moli, Rhodaníque fluenta
Obturet saxis, valles quò largus inundet,
Obiiciátque nouum mediis in montibus æquor,
Nil tamen efficiet quod Regia signa moretur;
Quæ non Oceani fremitus, non Circius vndas,
In cœlum attollens sublimius Alpibus ipſis
Non Rupella fremens armis, non Anglica vela.
Cui non notus Iber sociis qui fœdera belli
Pollicitus, sibi firmat opes, quibus Itala sensim
Regna premat, dubiáſque arces, sibi vindicet vni?
Irritus inceptis erit exitus, & sua fortis
Si modò defendat, sat erit discriminis hauſtum.
Sed neque res cedent annis venientibus Anglo
Vt prius, occluſa eſt illi quæ porta patebat
Vltima limitibus, Regníque in littore Franci,
Totius & penitus secluſum limite mundi,
Infausti capient tandem fastidia belli,
Atque volet placida cum pace quieſcere tutus.
Mens erit, & studio pacis certaſſe priorem
Artibus atque bonis fraterna reſumere vincla
Fœdus inire nouum, fiat, modò duret in æuum.
Atque adeo decus hoc, & Francæ gloria gentis
Consiliis Richilliadæ moderantis inibit,
Qui prior in melius mutata Doridis arte,
Anglica deprenſis vela inſidiantia Nautis,

Atque graues noſtra pepulit regione Robergas,
Vtilius nullum quàm quod dedit inclytus Heros
Conſilium Regi, noſtras defendere firmis
Puppibus in grandem numerum à Prædonibus oras
Vt cùm tuta forent pacatáque littora noſtra,
Candida felici Nautæ dent carbaſa vento,
Incurſéntque oras, Gens vnde induſtria luſi,
Et vicinus Iber tot opes exportat auarè
Impugnat, verſátque quibus furialiter Orbem.
Cura hæc Pleſſiadæ Francis ſuccurrere damnis
Vt quantas exhauſit opes vis bellica Regno;
Tantas Oceanus, tantas exotica merces
Vecta mari, fauſtíſque auris appulſa rependat.
Aggredere ô laudes meritas, & reddito gratæ
Gallica gens operi tanto, quod noſtra propago
Proxima ſuſcipiat, referátque nepotibus olim.

CARMEN II.

TV per cærulei conuexa micantia Cœli
Flammantes qui flectis equos, Sol inclyte, teſto
Milite ab Heſperio cincti obſidione Caſalis,
Exemptique iugo Regis tutamine Franci,
Dum radiis vrbes circumluſtrabis Iberas,
Dum reliquas gentes, ſeu quas diſcrimine paruo
Doris ab Europæ dirimit mediterrea regnis,
Siue etiam reliquo quas gurges Atlanticus Orbe
Diuidit, & noſtras à lumine ſubtrahit Arctos,
Siue Aſiæ populos, terráſque Aquilone peruſtas,

Illustres, iterùm memora Victoria quanta
Italico cessit Francis in limite turmis,
Quàm iustè Regale premat caput vndique laurus,
Musa, tuis mandas quæ gesta Heroïca fastis
Quâ veterum Heròum creti qui sanguine Franco
Eois patrium sacrarunt nomen in oris,
Da mihi olorinâ pro viribus edere pennâ,
Milite quo celsas Rex exuperauerit Alpes.
Quâ, vulgata prius non expugnabilis vlli,
Francorum vi capta Segusio cesserit armis
Arcis tuta tholo, castris munita quaternis,
Cum quibus audaci conflixerit agmine victor,
Quotque sibi officijs Italas deuinxerit vrbes,
Quas Leges dederit, quæ iura æquissima victis,
Ipsa canas; facit elinguem me copia rerum.
Francigena ad rigidas Heros peruenerat Alpes
Densa seges pilorum Italas exsurgit in arces,
Multæ animæ fortes, durique examina Martis
Ære horrenda caput, ferri gestamine dextras,
Stricta parata manu, properant, montésque laborant
Et superare altos, & castra inimica videre?
Atque auidè totam peragrant, & mente recursant
Italiam; feruent animis, pes lentius ibat.
Illic diuisis videas ad prælia turmis
Omnigená regni pubem de gente coactam,
Et quam Francarum tumidus regnator aquarum
Sequana vicinis feliciter abluit vndis,
Quæ Ligeris tractus colat atque fluenta Garumnæ,
Quæque Carentonijs piscosum fluminis alueum,
Cuique Arar, aut Rhodanus patria est, cui Dordona pugnax,

Conuena, Vasco sciens Martis, fortisque Bigerro,
Quósque penes leuibus fluit orba Druentia lembis:
Interea miles dum martia classica pulsent
Bellorum simulacra ciens, se exercet, & inter
Dura iacet pernox instrato saxa cubili:
His præerant Crequiúsque potens, vetus hostis Iberi,
Et Bassompetra in Austrasiis cui nobile germen
Rauastina domus, Germanis ortus ab oris
Scombergus, Rex ipse Ducum Dux maximus anteit,
Cætera Nobilitas quem corporis aggere cingit.
Consilijs superest magnis, ac rebus agendis
Ardua mens Richelliadæ, cui exercitus omnis
Incumbit vigili, ne quicquam tempore desit,
Néue aliud miles, quàm quæ sua munia curet,
Certus vbi victus sibi suppetat, atque receptus.
Fama volans maturat iter, iuga trajcit alta
Percellitque tubæ victricis Iberica grandi
Castra sono, Francas acies regna Itala versus
Liligero duce Rege cito contendere cursu,
Concita pernicis Rhodani superare fluenta
Vrbis Eburduni saxosæ insistere terræ,
Quem regni postrema Brigantio mœnibus altis
Expectat, nequeátque inhibere Segusio passus
Ingressum, quin Taurinis incurset opimis,
Et nullis opibus, nulla vi, milite nullo,
Posse Subalpinas defendi à turbine gentes:
Et tentata diu, & multo spectata labore
Consilijs ea bella geri, non qualiter olim
Antiqui gessêre Duces, quibus impetus acer
Principiis, in delitias deferbuit otî

Martem & Mulciberem castris sociarier istis,
Amborum assensu Venerem procul, atque Deorum
Partes quémque agitare suas, illúmque furentem
In medio, armatas ad bella ciere phalanges,
Bellonâ comitante, auidáque cruoris Enyo,
Hunc autem igniuomis balistis sulphur & ignes
Lumine tam certo & dextra solerte daturum,
Ferrea vt incassum glans nulla feratur in hostem,
Ictibus & crebris inimicæ funditus arces
Sternántur, si quæ iussis regalibus obstent.
Has Richelliadem leges, hæc iura dedisse
Numinibus seruanda istis, dirúmque vetasse
Exitium Domibus sacris, castóque pudori.
Martiús excurrit mensis, Mauorte secundo
Martigena ingredere, & faustâ bonus alite calca
Italiam, quali Macedo pede Persica regna,
Quali Dacorum populos Traianus & Istrum,
Quali Saxoniam Carlus, Batauósque Philippi.
Ingredere, & fractis terrore hostilibus armis
Si potis es, sine vi domitor, sine sanguine regna.
Pessimus at Genius deducet ad arma Sabaudum,
Vt quo pressit Iber muros pellace Casalis
Iudicio Cœli iusto, Astraáque petente,
Te magno victore superueniente prematur.
Aggrediamur opus: superato, Henrice, Sabaudo
Regum Magne, tuis bellis bene prouidus olim
Pacis eas leges dederas, secura daretur
Quò via, belligeris equitum peditúmque cateruis,
Italiæ quoties vellent incurrere Franci.
Sed Dux ille vafer, statuis dum fœdera sancta

Rumpere, Ferratóque à Monte propellere tentat
Gonzaguam, ſubolet quem Franco à Rege tuendum,
Stare requiſitus pactis, ac vana profatus
Abnuit ingreſſum ſibi per dominata daturum,
Atque ſuos aditus molitur Marte tueri,
Scilicet Alcidæ magno vim ferre parabat
Pumilio, & clauæ fragiles opponere palos,
Aut capreæ corio exuuias terrere Leonis.
Nouerat Alpinas Cottî de nomine rupes
Acceſſu faciles, quâ celſa Seguſio ſurgit
Proxima Delphini populis de nomine dictis;
Hac quondam Italicis ferus Hannibal intulit oris
Hoſtica Romanis infeſtior arma, facéſque,
Quáque prius via nulla, viam patefecit, aceto
Ignéque duritiem cautis ſuperantibus ægrè,
Rebus at euerſis bello Carthaginis altæ.
Illic Roma potens aditus quo tutior eſſet
Impoſuit munimen, iter facientibus aptum:
Poſt vbi temporibus Romana potentia lapſa eſt,
Italiam verſus populis, & Gallica verſus
Limina, diuerſi Reges ſua iura dederunt:
Quiſque ſuas ſtabiliuit opes, ſibi prouidus vni
Marte & conſiliis, tunc vile Seguſio caſtrum
Viſa ſubalpinas frænare facillima gentes,
Pœninúmque aditum vicino occludere Franco,
Grata ſuis Dominis magnam percreuit in vrbem,
Milite perpetuo, multis & adaucta colonis,
Germano Imperio donec parere recuſans
Iratis cecidit Federici Principis armis
Verſa ſolo, & modicam rurſus decreuit in vrbem,

Illic deinde Duces arcem posuêre Sabaudi,
Addidit obicibus structis, atque aggere terræ,
Munimen Dux iste nouum quod milite complet,
Quattuor id Castella tenet, sed quattuor arces
Quindenis validas Regis tardare diebus
Militiam, tot castra parat, tot prælia Francis.
Liliger interea Princeps peruenit ad arces
Vrbis Eburduni, & paucis vbi constitit horis.
Consilio capto Taurinum mittit, ad ipsum
Verba iteranda Ducem, pactum seruare fidele,
Atque vias aperire dies quot quæreret antè
Quàm responsa daret, tot nuncius huic daret horas.
Iussa capessiuit Regis Vallancius Heros,
Notus & ipse Duci, (cui bellica gesserat arma,
Tempore quo veteris submittere mœnia Jani
Diguierus tentat) mandatáque sedulus implet.
Dux hæret, nectítque moras responsa petitis
Reddere, sed premit ille, & quadragena virorum
Millia lecta docet regnis instare propinqua
Quæ Pedemontanis si Rex immiserit oris,
Cogatúrque suis armis & viribus vti,
Atque Ducis captas hostiliter occupet vrbes,
Haud facile abscedent, atque ad sua quique reuertent.
Ægra Duci mandata, die responsa daturum
Pollicitus binâ, binis Vallancius horis
Danda iubet, spatium hoc concessum à Rege loquendi,
Prælia deinde mouenda, & ius quæretur in armis.
Dux autem retulit missurum luce sequenti
Primigenam, satis vt fiat pro Rege petitis,
Sed patuit fraudare volens, Regémque morari

Cunctando, sociis donec misisset Iberis
Nuncia, & auxilium pacti de lege dedissent,
Nam Pedemontanus nullâ comparuit horâ
Regi expectatus conuiua, & habendus honore,
Sed Richelliadem, Caluo qui Monte sedebat
Limite in extremo Regnorum, & proximus hosti,
Conuenit, pactúsque viam est regalibus armis.
Ast vbi cœpit agi danda super obside Regi
Vrbe, petita negat: cœptis simul inde vicissim
Colloquiis, animóque offenso vtrinque recessum.
Tum Richelliades, data cui diuinitùs vni
Cura sagax rerum & fato prudentia maior,
Oceano radios properante abscondere Phœbo,
Admonuit LODOICVM. *(Ocelo tunc vrbe manentem*
Hostibus haud longè, postremo in limite Regni
Dum per iter surdum, dum per prærupta viarum
Procedunt incomposita properántque phalanges)
Non iam consilij, Martis sed tempus adesse;
Nil fore cunctandum, sat militis esse parati,
Quôue statiua ruat, quóue ambiat & premat vrbem.
Quod si tardetur, fore vt auxiliaribus armis
Firmentur castella, & quæ nunc absque periclo
Confieri possunt, multo post sanguine fiant.
Hoc monitum labente die LODOICE *capessis*
Lætior, atque tibi arridens Victoria iungit,
Primò Schombergum Herôem, deinde omine fausto
Borbonidem magnum, munita Suessio nomen
Cui Regale dedit; bellíque Tremollius ardens
Illos insequitur, Multa aulica turba Volonum
Vicinos animis iunctis ardescit in hostes;

Hinc Regale ſatellitium, fortéſque manipli
Quique ſuis Ducibus parent ad bella parati,
At media de nocte prior LODOICVS *in hoſtes*
Fertur equo, Caluique petit latera ardua Montis:
Nobilitas ſequitur, dubiis quæ pectora rerum
Caſibus obiectans pulcrum venatur honorem.
Omnibus his Richelliades prouiderat antè,
Militibus pugnæ attentis ne commoda deſint.
Turma vetus caſtris aderat, quæ milite conſtans
Delphinate, iugi & vallis cuiuſque perito
Norat iter cæcum loca per deflexa viarum
Et tardo labyrintho, & longa ambage retortum,
Carpere quod tacitè, & montes ambire iubetur
Hoſtibus à tergo vt veniens inopina Sabaudis,
Incautos intercipiat, fundátque pauentes:
Incedit, dat iter radiis obnoxia Luna
Fraternis, rupes obiit, Phœbóque micante
Planitie camporum hoſtile incurrit in agmen
Subſidio aggeribus veniens, munimen & vrbi,
Securum, nulláque hoſtis formidine tactum,
Ordinibus mixtis paſſim & palantibus agro,
Obſtupuit, viſuque hoſtili territus hoſtis
Ante expectatum noſtri cadit enſe manipli,
Et miſsâ in pauidos lethai grandine plumbi
Arua cadaueribus complentur, ſanguine foſſæ,
Signa decem ſublata, Duces cum milite capti,
Signa tui poſthac, populoſa Lutetia, Templi
Appendenda tholo, Diuæ genitricis honori.
Victa phalanx, Caſtella Ducis ſi ingreſſa fuiſſet
Viribus, & tantis preſſos, animíſque leuaſſet,

Durior incœptis foret exitus, atque cruore
Tam modico, vix vt ceſſiſſet adorea Regi:
Qui ſimul vt Calui peruenit ad ardua Montis,
Vota Deo fundens ſacris altaribus adſtat,
Nobilitas imitata frequens, ſe quiſque parauit
Horriſono Marti, ac alacer ſua munia curat:
Vt tuba dat ſignum, videas concurrere in arces
Omnia tarmarum denſata examina circùm,
Prœlia miſceri, & pugnæ increbreſcere fulmen,
Ingenti ſtrepuêre Alpina cacumina planctu.
Quæritur & factis ordo, prior agger in orbem
Cingitur, hîc Martem indomitum, cernáſque Volones
Irruere, hîc patuit quantùm præſentia Regis
Pectoris hoſti adimit, ſibi quàm pugnantibus addat,
Conſeritur, manuique manus dat vulnera pilis.
Multáque in aduerſos crepitans cadit horrida grando.
Vt maleſuada fames Libycos ſi quando leones
Exagitat, cogítque ſuis excedere luſtris,
Intrepidi Mauræ ſubeunt magaliâ gentis.
Vngue ruunt, & dente terunt, fuga ſola ſaluti:
Sic vbi militibus data ſigna furentibus, arces
Aggredier, cernúntque hoſtes quos aggere turbent.
Ilicet inſultant muris, nec tela, nec igne,
Plumbea ſulphureo nudos glans miſſa moratur,
Haud dubios, Montis detrudere faucibus hoſtem,
Quantum ſit Francis ſuperaddere rebus honorem.
Inſiliunt ergò muris, ac vnguibus hærent,
Summáque primarum dextris faſtigia prenſant,
Non hos aut ſociæ mortes, aut vulnera tardant:
At contra Caſtella ſuæ munimina vitæ

Obſeſſi quacumque parant defendere telis
Ecce autem mediis armis, & Marte calente
Delphinas caſtris hoſtilibus ingruit agmen,
Ac ſimul vt vidit candentia ſigna Sabaudus
Obſtupuit, binos ſpem præter lapſus in hoſtes,
Nec medium ſe poſſe ratus pugnare duobus,
Lentius arma mouens, & ſpe deiectus inani
Per caſtella pauore tremit ſtatione relicta;
Turbatos Franci inuadunt, patet horrida cades,
Hinc properant alacres reliquis immittere bellum,
Aggeribus, res Marte agitur, ſed funditur hoſtis,
Et quâcunque ruit, portáſque tetendit ad vrbis,
Inſequitur Francus, mixtímque ferè occupat vrbem,
Et, niſi palantum voluiſſet parcere vitæ
Rex, eâdem vi capta Seguſio & ipſa fuiſſet:
Turbato miles ferus hoſte ſubiurbia complet,
Et ſubit Vrbani circum loca proxima muri:
Ipſi etiam Herôes Crequius, Baſſompetráque vnà
Franciſci myſtarum ædes ſibi tecta prehendunt.
At Scombergus equo vectus dum munia curat,
Ordine compoſito pugna prodire phalanges,
Articulos æger, transfigitur ilia plumbo
Quà latere è læuo pendebat fulgidus enſis,
Apparet chlamydi largos effundere rores
Sanguinis, at generoſus eques non deſtitit antè
Incœptis, quàm certa foret victoria Regi:
Reſciit indoluitque viri Rex vulnus acerbum,
Nec ſe victorem credit, nec geſtit haberi,
Quàm data Scombergi fuerint de vulnere certa
Nuncia, num lethale foret commiſſa Cherurgis

Cura Machaonia curare ſalubriter arte,
Hi vulnus trepidi attrectant, & nulla videre
Heroï ſe ſigna ferunt minitantia mortem.
Audit, & ingenuo teſtatur gaudia vultu
Rex hilaris, SALVVMque ſuis è millibus vnum
Malle refert, quàm mille hoſtes proſternere ferro.
Ecce autem mediis fugiens apparet in agris
Turma equitum velox, Taurini mœnia verſus;
Dux cum Primigenâ poſt cladem & fata ſuorum
Poſt caſtella euerſa, vrbémque pauore labantem,
Neuter eorum auſus ſe fidere mœnibus arcis,
Interiora ſuæ mauult ditionis adire,
Inde ſalutiferum longè à victore probantes
Sumere conſilium, quàm ſe & ſua dedere captos,
A quà ſorte parum, ſi quis manſiſſet abeſſet.
Tum veritus Ciuis ſubeat ſi mœnibus hoſtis,
Ipſe ruens capta diſpendia ſentiat vrbe,
Regali mauult fidei ſe dedere ſponte,
Conſiliúmque capit de deditione paciſci.
Et iam Solis equi Sinarum à Gente remoti,
Ortum inter mediúmque diem ſpatia alta ſecabant
Cùm Rex more ſuo ſacris altaribus adſtans;
Accipit obſeſſos vrbem ſibi dedere Ciues
Hoſtiléſque arci ſeſe incluſiſſe maniplos.
Hic hoſti data vita, pio victoria Regi,
Lætatur miles fauſtis operatus in armis,
Atque alacer Regis capiti dat iure coronam.
Qui Superûm Domino grates dat pronus ad aras,
Thoraſiúmque iubet ſenâ pro tempore turma
Obſidione Arcem tentare, vrbémque tueri;

At Templis Domini, ſacris & rebus, & ipſi
Parcere fœmineo vult Rex ſua bella pudori,
Ac mandata dedit timidis popularibus æqua
Munificus victor, quos prædæ exemit & Orco.
Inde iubet turmas ad mœnia celſa Caſalis
Tendere, ſperatóque breui ſe accingere Marti.

CARMEN III.

AT Dux flammantes fato indignantibus, iras
Concipit inde animis, méne hinc abſcedere victum
Inquit, & Italia non poſſe auertere Francos?
Méne etiam indignè peregrini ſubdere Regis
Colla iugo, canóſque meos ſubmittere cirris?
Cui tot opes reſtant, tot Pergama, tanta virorum
Agmina, & Italiæ populorum adſertor Iberus?
Siccine tot longis mihi parta laboribus olim
Gloria momento cadet, atque oppreſſa labaſcet?
Non ita, ſed quacumque viâ regionibus hoſtem
Deturbabo meis, quamuis diſpendia longis
Excurrant annis, patriæ mœrórque ſequatur,
Sic ait, atque gemens, ægríſque doloribus actus,
Infandum meditatur opus, dare ſubdita flammis
Oppida, quæ nullis eſſent circundata muris,
Commoda vt humanæ vitæ, victúſque diurni
Copia deficiens Francis, & turpis egeſtas
Succedens, licet inuitos ſecedere cogat,
Et totis ſenſim terris ſit abire neceſſe.
Reſciit & miratur opus LODOICVS *acerbum,*

Consilióque pari statuit sermone minaci
Deterrere hostem, clauúmque retrudere clauo,
Talia verba Duci iubet à Præcone referri.
Se quæ restabunt vrbes & Pergama tuta
Mœnibus, exitio diro flammísque daturum,
Vt tota regione nihil nisi rudera restent.
Audito Dux ipse minantis fulmine linguæ,
Præcipitis laxas animi moderatus habenas
Orditur sine vi Regalia sistere castra,
Venarique prior pacem, modò legibus æquis,
Atque offerre lubens pactis quæ à Rege petuntur,
Sed quidnam nequeat sperare à Principe IVSTO
Sponte suis etiam qui cuncta rebellibus ausa
Et captas vrbes, socialiáque arma remisit?
Noluit ipse tamen pacem tractare pudore,
Visere nec Regem, puduit pro fœdere rupto:
Primigenam misit, qui Princeps illius oræ,
Cui germana soror Regis, charissima coniux.
Ipsa gerens vterum, fratríque acceptior vna,
Mitia cuncta Patris certo qui nomine tractet:
Accedit, Rex illum omni suscepit honore,
Admouítque epulis, dum tempora commoda rebus
Intereà, & votis veniant optata secundis,
Tum quæ pacis erant his conditionibus acta:
Terdenum ante diem soluatur stricta Casalis
Obsidio, ac hostilis Iber tentoria tollat,
Sarciat ipse penus consumpta tuentibus vrbem,
Ialloníque arces, simul vrbs & castra Gelassæ,
Tradantur, Francis hyberna futura maniplis,
(Has arces, atque hæc prīscis incognita seclis

Caſtra, Ducum fidei fluxa obſeruantia ſanctæ
Limite in extremo ſtruxit ditionis auitæ,
Cautibus in mediis quâ Gallia reſpicit Alpes,
Regibus Italiæ domitandæ obſtacula Francis:)
Inſuper Arx, cui iuncta Seguſio, tradita Regî,
Vtque ratæ maneant firmiſſima vincula pacis,
Has omnes ſibi Rex Arces ſeruabit aduſque
Nomine cuncta Ducis promiſſa, impleta ſequantur,
Donec pacificè Carlus Gonzagua fruatur
Ferrati Montis tota regione, ſolóque
Fatidicæ Mantûs vrbis de nomine dictæ
Mincius, herboſo niueos cui flumine cycnos
Paſcit, & inflexis circumluit arua fluentis.
Ac veluti properata ſui poſt fata propinqui
Jure ſuper dubio cùm litigat vnus & alter,
Quiſque ſuas defendit opes, ſua iura tuetur,
Et turbant incompoſito fora cuncta tumultu:
Donec adeſt, ſaltémque foro credatur adeſſe,
Ingreſſus per clauſa aliis tabularia Iudex,
Ille ſatellitio cinctus loca lumine luſtrat,
Atque graui ſcandens cum Maieſtate tribunal,
Indicit tacito veneranda ſilentia vultu,
Iuráque dat populis circumſpectantibus æqua:
Sic poſtquàm à Superis datus eſt Rex Liliger vnus
Arbiter Italiæ, celſas ſuperauit & Alpes,
Conticuêre omnes, poſitáque libidine belli,
Vertit Iber alio, ius Imperiúmque Sabaudus
Inuitúſne volénſne ſubit, ſed pace fruatur,
Dummodo pollicitis ſteterit, nec fœdera rumpat.
Vos quorum fera bella premunt hoſtilibus Orbem

Artibus, Occiduáſque Orientis iungitis oras,
Debiliúmque arces, veſtris includere Regnis
Vnica cura ſubeſt, a IVSTO *diſcite Rege*
Et quibus ex cauſis, quo prælia fine mouenda,
Qui potuit meritum totis ditionibus hoſtem
Pellere, & Italiæ dare bellica iura páuenti,
Vt primùm vidit labentem viribus hoſtem,
Colloquium pacis miti ſermone petentem
Admiſit, ceſſatum armis, & amiciùs actum,
Reddita Pax populis, diróque à Marte receſſum.
Aſt vbi miles Iber, Arcem faucéſque Segusî
Audiit à Francis fauſto Mauorte teneri,
Et de ſucceſſu tanto trepidare Sabaudum,
Inſubrum loca nota, & tutas cogitat arces,
Vaſáque collegit longo ſibi parta labore:
Maturauit iter certus de pace Sabaudi
Nuncius, & pactum ſolui obſidione Caſale.
Muſa Orbi memora Regis decus, exue ſoccos
Heroóque audax animi vincire cothurno:
Hoſte Caſalites dum ſe videt vndique cingi,
Et nil demetitur de viribus Vrbis & Arcis,
Cuncta ſibi luſtris cenſet fore tuta duobus,
At penus, & vitæ quæ ſunt repetenda diurnæ
Quottidie pereunt, hæc ſunt quæ Pergama celſa
Nullâ vi ſternenda, ruunt & tempore delent.
Non tormenta timet miles quæ bellica muros
Hoſtis in obſeſſos excudat ſulphure & igne,
Certa repentinis inſultibus addita cura,
Vnanimes Domino ſeruare fideliter vrbem,
Ipſi vitam adimunt, ipſi ſibi robora demunt,

Et reſecant minuúntque ſuis quocumque dierum
Vſibus, humanam ſine queis conſiſtere vitam
Haud datur à Superis, ſed tempore fracta labaſcet,
Talia non valeat ſuperare incommoda quiſquam.
Hæc dum mente duces agitant, & corde volutant.
Fortibus ecce viris portentum apparuit ingens,
Eridani prono labentia fluminis alueo.
Nauigia, anne hoſtis dubium, vel amicus adeſſet,
Et quò procedunt, ſubmiſſiùs Vrbe ſiletur,
Donec nulla vident vexilla coloris Iberi,
Vtque adſtant propius, fulsêre micantia ſignis
Lilia, & agnoſcunt vultus, patriámque loquelam
Francigenæ incluſi muris, ciuéſque pauentes
Confirmant nihil eſſe doli, nihil eſſe pericli,
Et cunctorum animos ſubiit Victoria Regis
Italicas ingreſſi oras, qui terror Iberi,
Pellacémque armis ſubolent ſtrauiſſe Sabaudum,
Ecce igitur, quis credat? aguntur flumine prono
Regis ope, armatis immiſſa cibaria lembis,
Obſidione graui gratiſſima muncra preſſis:
Sed quiſnam Italiæ mediis candentia campis
Lilia, magnifici ſpecie deuecta triumphi,
Crederet Eridani geſtata ſilentibus vndis?
At ne nauigiis lateat quid fraudis & artis
Obſeruant, & cuncta recurrunt mente ſagaci.
Appellunt nautæ terris, ruit obuia turba,
Excipitur ducibus cum magno Francus honore.
Hoſpitibúſque placet dextris coniungere dextras,
Multa Ceres ratibus preſſæ deponitur Vrbi,
Gratáque militibus generoſi copia Bacchi,

Obſeſſi Pæana canunt, minitantur Ibero,
Viderat ille notis vexilla ardentia Francis,
Deſpondénſque animo, reditúmne fugámne parabat.
Hæ ſunt primitiæ generoſi, Mantua, belli,
Cui ſe Rex Itala pro libertate libenter
Accinxit, Lex hæc victo data prima Sabaudo,
Obſeſſo ſarcire cibaria paſta Caſali.
Horrea repleri Cerealis mergite culmi
Et vacua vuiferi cellaria munere Bacchi:
Paruit ille volens, nolens, impoſtáque curuis
Nauigiis, delata vrbi ſunt alite fauſtâ,
Addita Regali candentia lilia pompæ,
LILIA *quæ non viſa Italis à pluribus annis,*
Incipient florere tuis LODOICE *ſub armis.*
Scilicet illa dies qua capta Seguſio Francis,
Et penus obſeſſo lembis deuecta Caſali,
Scilicet illa dies pedicas & vincula rupit
Italiæ, Dominóque ſuis cuicumque potiri
Vrbibus & ditione dedit, ſpes omnis Ibero
Vicinos populos demeſſa laceſſere bello.
Cedant Carle tui, cedant Franciſce labores,
Cedat & infeſtis repetita Neapolis armis:
Vrbes ingreſſi vi aut deditione potiti,
Egiſtis celebres vnà ſemel vrbe triumphos,
Ecce autem Eridano noſter LODOICVS *in amne,*
Regna triumphauit quotquot, vel pontus Achæis
Diuidit Adriacus, quæue vnda Liguſtica cingit,
Quæ Siculis dirimit terris metuenda Charybdis,
Et procul à reliquis Alpina cacumina findunt:
Regali pompæ, nec honoribus ipſe triumphi

Defuit Eridanus, ſed fluxit mitibus vndis,
Gratus, & humenti geſtauit LILIA *dorſo,*
Et ſe teſtatus Francum, deſpexit Iberos.
At dum magnifici cantas pæana triumphi
Liligeri Regis, memor eſto Muſa virorum
Quicumque incluſi cinctæ priùs hoſtibus vrbi,
Et famæ cupidi, & iuſto Mauorte cadentes
Æternum patriæ peperêre ſibíque decorem,
Guidonis primùm Harcurij, qui claſſica terris
Inflari Italicis ſimul audiit, impiger arſit,
Atque metus omnes, & inexorabile Fatum
Subiiciens pedibus, ſorti ſe ſubdidit vrbis
Obſeſſæ, patiens operum aſſuetúſque labori
Militiæ, fuſos circum dum fulminat hoſtes,
Occidit, ingentem Cœli indulgentia mentem
Excepit, longos at fama immota per annos
Multa virûm lethi durabit ſecula victrix.
Rebus Iber lapſus, Francum irritare veretur,
Atque ſuis victorem inducere finibus hoſtem,
Vtile conſilium captat, quod deinde ſecutus,
Ante diem poſitum, cautus de nocte ſilenti
Carpit iter ſurdum, & tacitus per operta recedit,
Vt leo quem ſiluis egreſſum armenta ciêre
Mugitu, & reliquæ cœpere obliuia prædæ,
Clauſtra, fame preſſus, ſtabuli nocturnus oberrat
Omnia tuta ſibi metitur paſſibus æquis,
Non tardant numerúmve truces, dentémque moloſſi,
Aſt vbi Sol oriens radiis opera omnia luſtrat,
Paſtor & exiliens primo de mane mapali,
Preſſa notauit humi crudi veſtigia furis,

Conuocat auxilium. vicinia tota mouetur,
Arcetur ſociis tandem fera bellua dextris,
Vnguibus ille minax, rictúque obuertit in hoſtes
Sæpius, atque oculis candentia fulmina vibrat,
Nec capit antè fugam, quàm longo diſſitus hoſti
Tramite, condatur ſyluis, nequeátque videri:
Tum fertur leuiùs pede, & ad ſua luſtra recedit,
Talis Iber alieni auidus, dum ſentit adeſſe
Francigenæ arma Ducis cincto obſidione Caſali,
Cogitat ante diem aduentus ſecedere longè,
Vt nox ſola fugæ ſit conſcia, ſintque tenebræ,
Abdita ſyluarum queis ſe Gens vana recondat.
At matutinus miratur mœnia Ciuis
Libera, Regales turmas ad proxima ſtantes
Autumat, inſidiáſne vafer prætendat Iberus,
Vt ruat incautos inopinus & opprimat vrbem
Anxius, & vetitum ne quiſquam excedat ab vrbe.
Verùm vbi Sol radiis medium diffinderet Orbem,
Ac hoſtile nihil totis apparet in agris,
Tum longo ſoluit luctu ſe debile vulgus,
Exultant lætis animis qui bellica tractant,
Reſpirare datum, clauſáſque recludere portas,
Ire iuuat, vacuúmque ſolum pede ſtringere tuto,
Et quo quíque loco ſteterint ad bella, recenſent.
Hîc Gonſala habuit tentoria ductor Iberæ
Militiæ ſupremus, & armorum arbiter vnus,
Serbelo dux eadem de gente tetenderat illic.
Guſtallæ Ducis hîc acies atque Itala pubes,
Hîc Germana phalanx agnato à Cæſare miſſa
Prætextu litis detrectatíque ſequeſtri.

Hoc

Hoc tormenta loco minitabant bellica muris
Vrbis, & aggeribus tutis adoperta latebant,
Hàc adiêre vrbem illac ad ſua quique reuerſi,
Hæc ciues nuribus, nil iam ſibi ab hoſte timentes
Narrabant, tacitum tentat queis gaudia pectus,
Atque Aſſertorî votis pia quæque precantur.
Audiit è latebris plauſum, cæcóque receſſu
Corniger Eridanus, Nymphæque pauore frementes,
Quas furor hoſtilis, ſtrepitúſque coëgerat ingens
In ſpecubus latuiſſe cauis, & linquere luſus:
Audiit, & leuiùs ſolito deuoluere fluctus
Cæpit, vti Populis quorum vagus alluit vrbes
Agmine ab hoſtili, Veronæ ad mœnia celſa,
Nuncia deferret, ſeptémque per oſtia Diuis
Doridis Adriacæ, Franci quæ gloria Regis.
Italicos inter fluuios præſtantior vnus.
Eridanus, Regum Francorum extollere laudes
Cui datur à Superis: Vt cùm Franciſcus opimos
Inſubres repetens, & regna Neapolis altæ,
Eridani ad fontes, Veſulus quos pinifer edit,
Excelſo Veſulus qui ſidera vertice tangit,
Hoſtica præueniens obſcuro tramite caſtra,
Incautos Italûm fregit fuditque maniplos,
Et ſubiti aduentus famâ perterruit hoſtes,
At modò narrabit populis Victoria noſtro
Liligero quanta acceſſit, quantóque triumpho
Intulit ipſe lubens lætiſſima ſigna trophæi.
Tu qui cuncta tuo Agnato per fáſque nefáſque
Concedis, ſolium Imperij ſeruire ſuperbo
Qui pateris, pennáſque Aquilæ qui tradis Ibero,

Non opus eſt, Cæſar, tali pro lite ſequeſter,
Litigij ſimulati, & fraudis deſiit anſa,
Iudicio Cœli iuſto, & potioribus armis:
Lis deciſa iacet, celſas pertranſiit Alpes
Liliger, & ſoluit preſſum obſidione Caſale,
Dátque manus victas litem qui mouerat iſtam.
Libera poſteritas prætextu exuta maligno
Viderit amborum quis iuſtior, Anne repulſo
Herede, Auſtriades qui vult aliena ſuorum
Vſibus aſſeruire, & totum commouet Orbem,
Vrbibus Italiæ pacis bona tempora demens;
Anne Capetigenæ LODOICVS *gloria Gentis,*
Qui verum iuſtis hæredem vindicat armis,
Quæ dum tentat iniqua geri Domus Auſtria, quicquid
Francigenûm ſceptris Quinti victoria Carli
Cæſaris abſtulerat, fiet quò vindice fato
Euentis repetat Regni melioribus hæres.
Nunc hebes eſt prior illa acies, quâ vincere bello
Auſtriadæ ſoliti, mediis regnatis in aulis,
Regnorum pennis aliorum, opibúſque potentes:
At regi Franco vegetus vigor, ardua virtus,
Militiæque ardens animus, cui gloria cingi
Fortiter enſe latus, chalybémque inducere dorſo,
Pérque acies medias Sarrano murice tectum
Ire equitem, cupidáſque ad bella ciêre phalanges,
Armorúmque haud vlla virum tolerantia frangit
Compoſitâ iam pace, Soror chariſsima Regis
Quæ Pedemontani iunctiſsima Principis Vxor,
Ventris onus geſtans, fraternos viſere vultus
Optat, & optatis Rex annuit, atque maritum

Iußit adeſſe ſimul, quem iam non iudicat hoſtem,
Immemor offenſæ genereſo corde paternæ.
Vt ſtetit illa procul, fraternáque caſtra reuiſit,
Et quàm multa virûm longis ſeges horreat haſtis,
Quàm multi tormenta manu mauortia geſtent,
Et longas acies belli ſimulacra cientes,
Lætitiâ tacitâ lacrymas effudit obortas,
Atque pedes quoddam ſpatium dimenſa decenter
Fraternis genibus Regali more voluta,
Magnanimum, Regem blando ſermone ſalutat,
Teſtatúrque humili quanta hæc ſua gaudia vultu.
Ille autem Fratrémque gerens, Regémque decorè
Amplexatur eam tenerè, terráque leuatæ
Oſcula libauit caſtæ fraterna ſorori.
Adfuit & Princeps eadem qui reddidit ipſe
Obſequia, & Regis genibus minor oſcula dextræ
Regali admouit, non ſpirans prælia vt antè,
Armatáſve acies Regis meditatus Iberi,
Sed Francum ſe faſſus, humillima verba profudit
Hunc Rex per mediósque globos, media agmina, turmas
Per medias equitum peditúmque examina, duxit,
Non animum Princeps viſu quò paſceret, at ne
Aut quid inerme putet, vel quid ſibi debile fingat
Sternere quod valeant Itali in Regalibus armis,
Nec doleat vinci, vel tot ſua Pergama Regi
Tradere ſponte ſuâ, quæ vi potuêre domari,
Italiæque redux populis teſtetur abundè
Quantæ Regi acies Franco, quàm nobile robur
Militiæ, quantis volitet Victoria pennis
Indefeſſa comes regalibus addita caſtris.

A reliquis populis omnis ſpeculator ad vncas
Detectus furcas trahitur, tortúſque lacérque,
Francigenùm Rex longè aliter, qui cuncta recluſit
Hoſtili ſua caſtra viro, pérque agmina duxit,
Et longâ iuſſit ſerie explicuiſſe cohortes,
Vt ſtaret campis exercitus omnis apertis.
Nequid cum Franci Martíſque animique lateret.
Fortunate hominum, felix ô Coniuge tantâ
Quæ tibi conciliat Regem pôſt fœdera rupta,
Poſt acies, poſt bella, & captas viribus arces,
Déque prius iuſtè offenſo tibi reddit amicum:
Qualiter Herſiliam memorant, quæ maſcula corde
Cùm videt attritos bello Soceróſque Viróſque,
Et ſuper excidio amborum damniſque doleret,
Aluum fœta grauem medijs ſeſe intulit armis,
Et ſtans Romulidas inter notóſque Sabinos,
Leniter irato Tatio blandita parenti,
Sarta viro ſtabiliuit inermis ſceptra Quirino.

CARMEN IV.

FAMA ſuperſtes aget penna metuente reſolui
Te Regum LODOICE *decus, qui parcere noſti*
Hoſtibus in mediis armis & fulmine belli,
Martius, at Martis ſcelerum atque libidinis oſor:
Sapius eueniet (mos hic communis Iberis
Regibus, has artes noſtra eſt experta Nauarra)
Vt qui ſceptra tenent, alios ſibi fœdere iunctos,
Aut incompoſitis offendant duriùs actis

Vel clandestino, vel Marte patente lacessant:
Longè mens alia est, nostróque industria Regi,
Qui tempestiuo veteres deuincit amicos
Officio, adsciscítque nouos, & vtrosque tuetur,
Laudis amans, alieni expers, & criminis exors,
Debilium protector, & obseruantior æqui.
Ergò vbi fama volat quâ Maiestate verenda
Quàm facili exceptus vultu Pedemontius Heros,
Filius in Francos Ducis hostica bella mouentis.
Scilicet in se oculos vnum conuertit & ora
Italiæ Procerum LODOICVS, *& arma quiescunt;*
Vndique Legatis agitur de pace tuendâ
Inter eos, datur arbitrium IVSTOQVE, BONOQVE,
Vnde penes Regem Francum aduenêre frequentes,
Et quos VRBANI *pietas, Venetîque potentes,*
Quos dominata Duci solers Hetruria magno,
Emisêre operi tanto sibi quisque fideles,
Pacis amatores, elato ad sidera vultu
Pacifico Regi felicia quæque precantur:
Quinetiam motus tantâ probitate fidéque
Liligeri Regis Dux ipse Sabaudus, & omni
Seposito ad tempus nisu tentante nocendi,
Gestit adire suum Victorem, & iungere dextras,
Indulsit facilis IVSTI *clementia Regis:*
Ille ergò (quâ mente docent euenta sequuta)
Regem adiit flexus poplitem, terræque propinquus
Maiestatem, animi pendens, veneratus adorat,
Incertus Victor quæ verba profabitur ingens.
At Rex vindictæ diro impenetrabilis æstro
Alloquitur placidè, ac pacis de rebus agentem

Déque ſuo veteres renouantem iure querelas,
Audiuit patienter, & ad ſua regna remiſit
Neſcio qua præter ſolitum dulcedine tactum,
Pollicitúmque redire breui, & promiſſa tenere.
Vir dubiæ fidei, Regem ſermone doloſo,
Atque per ambages, quanta eſt audacia, luſit.
Vtque illi mos iſte ſubeſt ſimulare iacentem
Febre malâ, articulóſue ægrum, cùm fallere mens eſt,
Inualidum fingens, voces & verba dediſſe;
At ſerò tandem patuit, nec poſtea rurſus
Paruit, at binis tractanda negotia Natis
Tradita, non etiam peragendi indicta poteſtas.
Sancta fides ſeruanda, Ducem retinere vetabat.
Attamen haud læuo, & forſan meliore tuarum
Euentu rerum fuerat, Rex magne, tenendus
Pollicitis donec ſtaret, quáſque occupat arces,
Redderet, Heſperiúſve ab eo conductus, vt omnis
Cauſa reciſa mali finem cepiſſet in vno;
Nec tibi dedecori Carlum retinere fuiſſet,
Qui nullius opes ambis, cui dira libido
Deuictas retinere vrbes, aut extera regna
Addere Regna tuis nunquàm pia corda peruſſit.
Quique Lares linquens patrios, ædéſque ſonoras
Fœdera amicorum, atque Dei præcepta ſequutus
Veniſti preſſis Iuſto Mauorte tuendis:
Omnibus id notum, & venientem Daunia tellus
Auctorem pacis, libertatíſque potentem
Agnouit, cingens victricia tempora lauri
Palladiæque oleæ mixta de fronde corona.
Spe, Duce quòd tanto ſtrata Itala bella ſilebunt,

Loricisque situ exesis in pace quieta
Astruet innocuos exilis aranea casses.
Sed neque sustinuit tanto cariturus honore
Præfectus Gonzala aruis Insubribus ipse
Hostis Iber, nupérque fugatus ab vrbe Casali,
Visendi Regis secura licentia detur
Vrget & obtinuit, stipatúsque ordine longo
Nobilium accedens, Regem de more salutat
Prociduo quo curua genu, quo cernua vultum
Suspicit Hesperiæ proprios gens effera Reges,
Stratus humi, magnæque humilis dedit oscula dextræ.
Nulla illi Regem quæsita est causa videndi,
Quàm Francas acies & regia castra videre,
Sintne illa Hesperiis quæ formidanda maniplis,
Nempe suo Regi scriptis sibi visa referret:
Regali iussu armatæ coram hoste cohortes
Explicuêre viros, campóque exercitus ardens
Constitit in belli faciem, fulgebat & omnis
Splendore armorum, & radiis vicinia latè,
Et miscere manus, & bellum inferre paratis,
Non animum visu quò pasceret hostis inanem.
Sed quia non aliter quæ sint ad prælia vires
Liligero Regi fieret benè credulus ille.
Instructas Gonzala acies, & ad omne paratas
Martis opus vidit, turmas Rex ipse locabat.
Flectere gnarus equum, & Tyrio conspectus in ostro.
At nostrum miratus Iber Herôa, pauorem
Induat an simulet surdum est, tamen addit honorem.
At velut Eoo si Rex de limite Pardum
Quem data vincla, famésque adigunt mansuescere corda

Nutriat in tectis, manibúsque assueuerit escas
Sumere, nota feram nec turba domestica turbat.
Sed nec turba feræ dentes pauet ipsa vicissim.
At si Regales intrauerit exterus ædes
Veste peregrina, & diuersicolore notandus
Ille fremens, ni contineat manus arcta, noceret.
Sic vbi Franca phalanx vidit cum Rege tot vna
Ignotos vultus, atque audiit ora loquentum
Indignata virorum audacia facta, fremebat
Et sibi in inuisos vix est quin irruat hostes,
Affectam malè ni premeret præsentia Regis.
Cautior at Richelliades præsensit id omne
Fictitium, & vafræ commenta recondita mentis,
Nempe quod ipse diem Dux, atque ex ordine mensem
Venetur, spectans si fortè quid accidat, vnde
Insolitus Franco venturis mensibus æstus,
Arctior aut annona premat discedere terris
Italiæ, reuocétve aliquis de Gente rebellis,
Qui LODOICVM *adigat ciuili intendere bello,*
Et mittentem aliena, suis incumbere rebus,
Effugiátque Itali belli irreparabile tempus,
Præuidit Richelliades hæc omnia cautè
Ferratique altus Montis præmunit arces
Præsidiis, & quotquot erant data Pergama Regi
A Duce fraudantémque astu potiore retundit.
Cedite qui Latio, qui dicitis Hellade magnum
Alcidem, validúmque manu, genióque potentem;
Cui cecidêre feræ, cui monstra grauantia gentes,
Geryonésque, tricorpor onus telluris Iberæ.
Liligero Regi cecidit tribus vnus in istis,

Geryo-

Geryones non tamen manibus metuendus & armis
Triplicibus, triplici aut Genio, quàm triplice linguâ:
Geryone extincto domitor regionis Iberæ
Alcides, Italas adiit per culmina gentes
Gallica, diuiditur quibus vtraque terra colonis,
Nec monstra inuenit Gallis quæ perderet oris.
Ast Itala Cacum prædonem in rupe latentem,
Ore vomentem ignes, & suetum viuere rapto,
Elisum manibus statuit deforme cadauer;
Tu cui pulsus Iber, Itali cessere Penates,
Si tibi sat LODOICE *dedit victoria laudis:*
Italiam vltrà non vis conuellere bello
Vrbibus à versis & sanguine prorsus abhorrens,
Nec fieri Aggressor (quamuis tibi causa supersit,
Artibus hinc artes, Martémque repellere Marte)
Linque solum ingratum, & steriles in vertice syluas
Alpino, quo nulla suo vindemia ridet
Cultori, nullus Cererem per iugera spargit,
Nec messor grauidis falcem supponit aristis.
Tale solum viridi numquam se gramine vestit,
Vnica cura subest tota regione colonis,
Obscura sub rupe Lares sibi quærere inertes,
Queis lateant hirti tegmen mantilis amicti
Aggeribus niueis iuga dùm montana fatiscunt,
Præcipitésque rigent inimico à frigore riui.
Et redeuntem acies aperit cum gressibus annum
Limine recluso capreas agitare fugaces.
Informésque cauis excire cubilibus vrsos,
Atque feræ teneros fœtus auferre parenti,
Terriculum pueris æstu ductoris Agyrtæ.

Dum tamen Italiæ feliciter ista geruntur
Finibus, arridétque pio sors prodiga Regi,
Obstitit ipsa latens, & fermè euertit in vno
Temporis articulo, longâ ratione parata.
Namque tenet residem dum captâ Segusio Regem
Cunctantem, quem finem habeant responsa Sabaudi;
Hi quibus annonæ cura incumbebat habendæ,
(Siue quod indigenæ Franco Mauorte furente
Credere nolebant illis, Dux siue Sabaudus
Liligeras acies ægrè passurus & arma,
In sibi parentes cautus compresserat vrbes,
Humani quicquid vesci reperisset in agris;
Seu quod auara sitis, lucríque impura Cupido
Cæcarat mentes hominum, furtóque nefando
Polluerat patriæ oblitos, Regísque súique)
Defecêre suo officio, curæque negotî,
Criminis & tanti sontes euasêre latenter
Vnde penus breuior, iusto quoque carior esca,
Hinc patrios remeare lares, pars magna Volonum
Cogitat, immensos sumptus quia ferre nequirent:
Adde quod epotus puro de flumine miles,
Ignotásque herbas, & agrestia gramina pastus
Robore deficiens operi superesse nequibat.
Liliger indoluit Princeps, dolor addidit iras,
Contusos animos & res miseratus acerbas
Militis, afflicto præcordia sancta recluſit,
Inque peculatus sontes, & carcere dignos,
Legè data tanto pro crimine iussit agendum:
At Richelliades cladi tam fortiter obstat,
Quò magis obsistunt Francis Fata inuida rebus,

Oblitúſque ſui non eſt diſcrimine tanto,
Colligit annonas, turmis morbóſque famémque,
Auertit, veſco ieiunia triſtia ſoluens,
Mollibus ac animos dictis & pectora mulcet,
Vnde breui, queſtus & ineuitabile murmur
Suſtulit è medio, & melius ſperare frementes
Admonuit turmas, & quemque ad munia miſit.
Interea celſas rumor peruenit ad Alpes,
Martis Arecomios tentare pericula Volcas,
Tectoſagúmque ire in gladios vicina furentes
Regis ope Heſperij, qui cum vi auertere Francos
Italia nequeat, Ciuiles ſuſcitet æſtus,
Immittátque faces ipſa in præcordia Regni;
Quique prius damnabat Iber tentata Britanno
Rupellam auxilianti armis & claſſe rebellem,
Efficit audaces populos, ſurdóſque potentis
Imperiis Domini, ſic vt protector haberi
Qui gliſcit Fidei, qui Religionis auitæ,
Fama neget nunc vllum alium præbere rebelli
Suppetias populo, victíſque offerre receptum
Colle Pyrenæo, patriique in limine Regni.
His animaduerſis REX *&* RICHELLIVS *Heros,*
Queis animus generoſus, & imperterritus ardor,
Conuenêre ſimul binis decernere ferro
Hoſtibus, & totidem tentoria figere caſtris:
Et quoniam plures diræ inclementia mortis
Suſtulerat viuis, & funere merſerat atro,
Aut grauibus longi morbi cruciatibus vſtos,
Aut ferro abſumptos, vel miſſâ ſulphure glande,
Quò magis exhauſtæ vires, hoc acriùs ipſi

Incumbunt, quicquid deſit ſarcire maniplis,
Vt quanto numero meſſæ fluxêre phalanges,
Millia bellantum tot claſſica rauca reponant.
Ergò vbi collectum robur Legionibus auctis,
Mille datur denis ſeruanda Seguſio dextris
Sub ductu Crequij, reliquis, ſed nomina quæ ſint
Turmarum Ducibus, verſu non dicere refert,
Illâ Rex certam ponebat in arce quietem
Totius Italiæ, moueátne Sabaudus, Ibérve,
Atque facultatem reditus, ſi fortè neceſſe
Poſt illata ſuis inuita rebellibus arma,
Regredi in Italiam, rurſúſque mouere Sabaudo
Prælia, & Heſperij tentare pericula belli;
Inſuper & Monti Ferrato, altíſque tuendis
Arcibus atque Vrbi, regioníque inſuper ipſi
Heros præficitur, clarus iam clade Britannâ
Thoraſius, victor mox & de gente futurus
Heſperiâ, ſeu vi, ſeu quis tentauerit arte,
Et ſi ſeruitij reſtet quis terror Iberi,
Ventura Italicas ſoluet formidine Gentes,
Omnia quæ curâ non ſunt leuiore gerenda,
Nec minus audacter, quàm cùm bellata fuerunt.
At Rex ſtipatus potiori parte phalangum,
Et Richelliadæ Herôis tutamine fretus
Conſilij, fauſtíſque euentibus (omine tanto
In peius ruet, & retrò dilapſus agetur
Quiſquis in aduerſum tentabit ſurgere Regem)
Braccatis inferre iugum Regale parauit,
Molitúrque feros inuadere Marte rebelles,
A quibus Imperij leges, & Regia contrà:

Jura, malis auibus, medio Reſpublica regno
Sperari audetur, quâ viuere legibus ardet
Vrbs quæcumque ſuis, & regia tollere ſigna,
Armorúmque Ducem proprium, lectúmque Senatum
Sufficere, & paulatim æterna refigere regna,
Conditione iſta Regi parare paratam
Hæreſis (infandùm) factis mentitur & ore,
Auxiliúmque latens Regis mendicat Iberi
Cedere cui victo non eſt ſatis vrbe Caſali,
Ni protecta ſuis opibus Gens victa labaſcat
Tectoſagum, diriſque ruant capta oppida flammis
Liligero Regi, quò bis frangentis Iberum
Gloria ſit maior, victi quàm prima Britanni.
Hos inter populos qui belli euenta verentur,
Séque ſuas & opes cuperent ſubmittere Regi,
At quibus ambitio, & quærendi nominis ardor
Attollit capita, & mentes occæcat inanes,
Et ſontes, & qui vulgi de ſanguine viuunt,
Vtile conſilium à ſceleratis cætibus arcent.
COMMOTOS inter populos, mentéſque rebelles,
In quibus alta loquens credi violentior ambit.
Optima quæ dabitur ſententia rebus agendis
Semper reïcitur, ſubeunt plerique nocentes,
Qui ſibi criminibus minus exorabile ſanctæ
Iuſtitiæ numen veriti, cùm perdita credunt
Cuncta ſuo capiti, reliquos in retia pellunt,
Atque ſuam ſperant à Maieſtate ſalutem,
Sulphureo effuſis cum turbine mœnibus Vrbis,
Plebs à Rege gemens veniam proſtrata rogabit.
At tu Rex generoſe, Deus cui bella ſecundat

Accelera, inceptúmque tibi decurre laborem
Rumpe moras ſegnes; te debita pœna nocentum
Euocat vltorem Cœlo tot crimina paſſo.
O decus, ô Famæ meritò pars maxima Francæ,
Néve feros animos ſperes mollire fauendo,
Sons quiuis ferrum timeat, Regalia IVSTE
Exerce Imperia, & populos compeſce rebelles;
Ver acies age per medias, ver ingruit Orbi,
Deſiit & Cœlo magnis Aquilonibus imber,
Explicat, & frondes atque vmbras ſylua miniſtræ,
Et cui bella moues regio ditiſſima victus,
Annonâ nihil eſt à deficiente timendum,
Bucera quâ patulos errant armenta per agros
Lanigerique greges, pérque ardua ſaxa capellæ,
Prima tuis regnis, albentibus horret ariſtis,
Illic flaua Ceres campis ſuccliditur antè,
Quàm noſtris lact ens calamus turgeſcat in agris,
Cruribus & nudis calcat gens illa Lyæum
Antè Lutetiatis quàm botrus aceſcat in aruis.
Ergò age, nempe breui bello experiêre ſubactos,
Et faciles iuſſis patienter ferre lupatum,
Quos nulli valuêre Duces, hos purpura Regis
Flectet, & inuitos coget iuga ſueta ſubire.
Hinc reuocat Ciuile nefas, hinc ingruit ardor
Externi Martis, labor eſt tibi durus vterque,
At tuus hoſtili generoſus miles in agro,
Ignotam tentare viam fluuióſque minaces
Vrget, in aduerſos ſtrepitus & claſſica ſurgens
Strenuus, ardentique aſpirat pectore Martem:
Illum ſpes arrecta leuat, ſpes debita prædæ

Et ſperatus honos fert exultantia corda
Vrbis in obſeſſæ muros, quæcumque ſit illa,
Quamuis æratis miſsi fornacibus altè
Flammarúmque globi, ferríque volumina curſent,
Multáque in inſtantes plumbi cadat horrida grando,
Et caput obiectare periclo, & ad arma ruentem
Ardenti ſtudio videas hilareſcere Martis.
Atque ſibi manibus non temperat vllus & armis,
Nec mora, nec requies, preſſos inſurget in hoſtes,
Pulueris obſcuram pedibus mirabere nubem
Surgere, tanta animis virtus, tam prælia cordi,
Tam benè nota manent, hoſtem ſuperare, futura
Gloria quanta ſibi: quanta incrementa peculî.
His animis petet excidio furialiter vrbes,
Oppidáque euertet quouis munimine ſarta,
Et miſeros ciues è dulci limine pellet,
Antiquáſque domos à ſedibus eruet imis,
Atque nouas adiget ſub ſole inquirere terras,
Te nolente tamen, toties qui in bella ruentes
Debita ad obſequia, & firmæ bona tempora pacis
Mitibus alloquiis ſine vi & mucrone vocaſti,
Non tua Ciuiles quærit mens alta triumphos,
Fas quibus atque nefas regnat, quibus impia ruptis
Vicinæ armæ mouent inter ſe legibus vrbes:
Grata foret magis alta quies, PATRIAEQVE parentis
Nobilius nomen tibi quàm VICTORIS habetur,
Sed quia nec iuſsis flecti valuêre, nec armis
Ne cadat armati gens tota in militis iras
Fiat vt hoſtilis præcelſo in culmine turris
Noctua viſa diu cantus exerceat atros,

Et mala dent corui preſſa quater omina voce,
Vt longè ante diem plebi ſint ſigna Rebelli,
Quæ maneant ſe Fata, quibus peritura ſit armis,
Vt priùs iratis ſiat quàm victima turmis,
Ad ſanam redeat mentem, & reſipiſcere diſcat,
Cúmque tuis cedet felix victoria bellis,
Inſtabiles animos facili prohibebis habena
Non Cælo, non vſque tuis ſe opponere iußis:
Nec labor eſt prohibere, rebellibus eripe notos
Ante duces, illis non impellentibus, altum
Nec ſapiet quiſquam, nec Martia ſigna ſequetur.
O ſi Tectoſagum vicinia, Montis & arces
Albani, indigenûmque rebellia quælibet arma
Braccatæ gentis ſapiant, parendóque iußis
Liligeri Domini ſocialia fœdera rumpant,
Auertántque ſuis dirum ceruicibus omen,
Reddatur pax alma ſolo ſine ſanguine Franco,
Reddaris LODOICE *tuis, populiſque, Sacriſque.*
Et tibi Connubij ſociali fœdere iunctæ:
Sat procul à patriis Mauors te detinet aruis
Italus, aduerſóſque inter Bellona Rebelles,
Sat tibi viſæ Alpes, deſertáque caca ferarum,
Ceſſeróque, atque arces Vticæ, campique Nemauſi.
Sic tibi ſuccedant quæcumque agis omine dextro,
Si non hoc nobis toto iam longius ano eſt
Tempus, & inſolito mœret tua Francia luctu:
At vos Liligerum quicunque Herôa ſequuti,
Victori intextum diadema inducite noſtro
Lauri, oleæque ſimul mixtum de fronde virenti,
Belligeras iiſdem prætexite frondibus haſtas.

At bifido eductis Parnaßi è culmine Muſis
Prima triumphales canet alma Lutetia palmas,
Et ſtatuet Regi ſpirantia ſigna potenti,
Artificis fabricata manu, teſtantia cultum
Atque fidem populi, quo non parentior vllus
Regibus, & iußi non obſeruantior almi.

HIS, Ego non horas impendi ignobilis otî,
Nobilius quid enim quàm tanti intendere Regis
Laudibus, & vulgare Orbi mauortia facta
Mille quibus veteres Herôas paßibus anteit,
Tum Richelliadæ Magni, quo ſoſpita ſiſtit
Francia, quem trepidant hoſtes, venerantur amici?
At mihi quæ data ſunt diuinitus otia rupi,
Atque dies duxi longos in cantibus iſtis,
Non referens quæ cantat Olor per littora Mincî,
Aut quæ pone ſuum modulans Philomela cubile,
Sat, ſi me patrij lætentur Acanthide dumi,
Indigenæue modis reſonent arbuſta Cicadæ,
Dum meus Italicis Regnis Sol Francicus ardet,
Tectoſagúmque manu ſubigit victrice Rebelles,
Et victis dans Iura, Aquilámque affectat, & Orbem.

IO. BAPTISTA DE MACHAVLT
Senatorius Pariſienſis.

RVPELLAE EXCIDIVM.

DEBELLATA ruit tandem Rupella, laborum
Obsidione diu patiens, & sordida luctu
Miratur pelagus, cuius vis pondere pressa
Nauali trepidat, frænisque coërcet aquarum
Agmina, séque agger mediis attollit in vndis:
Anglia dùm terno certamine victa, pudendæ
Dedecus æternum pugnæ subit, atque Reénsi
Littore, Gallorum dextrâ, pontique fragore
Fusa, vices belli metuit, visóque fugatur
Richelij vultu, cuius (sub numine Regis)
Consilio, belli sors inclinata recumbit,
Arcanóque fremit luctata potentia fato.

DV MAY.

LVDOVICO IVSTO

GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI

Christianissimo, Belli & Pacis Arbitro, semper Augusto.

AVSONIVM conterraneum nostrum imitari lubet (Rex inuictissime) circa Centonis consutæ argutiam, quam è gremio Maronis delibaui. Etenim Mantuanus patriæ libertatem, Regiæ Maiestatis numine fauente, sub Heroi-

Cardinalis Ducis sollicitudine oculatâ proprio ore vaticinatur. Cuius opus aureum potiùs circa Reges, Regúmque ministros, quàm circa fabularum deliria versari exploratum est, dum in hemisphærio Imperij Occidentalis te Solem Orientem contemplatur

Deorum Numini, Majestatique tuæ

DV MAY.

PVBLII VIRGILII MARONIS PROSOPOPOEIA.

PRIMVS *Idumæas referam tibi Mantua palmas*[1]. 5 G.

10 A. *Mantua dives avis,*[10] *ingens ubi flexibus errat*

3 G. *Mincius*[3]*, & lentæ texunt umbracula vites*[9]. 9 A.

10 A. *Cernis ut*[10] *assurgat? quo turbine torqueat hastam*[11] 11 A.

6 A. *Missus in imperiũ*[6]*? (nõ hæc sine numine Diuûm* 6 *Imperator.*

2 A. *Eueniunt*[2]*) Gallos in limine adesse*[8] *tremiscunt* 8 A.

1 A. *Ardua terrarum*[5]*, supereſt modò Mantua nobis*[9]. 9 B. 9 *ab Hispano occupata.*

11 A. *Arrexere animos Itali,*[11] *Rex ipse*[8] *cateruis* 8 A.

10 A. *Vertitur in mediis*[11]*, & grandia lilia quassans*[10] 10 A. 10 *Stemmata Gallorum.*

12 A. *Huc atque huc acies*[12]*, Alpésque immittit apertas.*[10] 10 A. 10 *Suzam oppidum.*

2 A. *Ense sequens*[12]*, alius Latio iam partus Achilles:*[6] 6 A. 6 *Ludovicus Rex Christianissimus.*

Nec procul Æmonides, Phœbi Triuiaque Sacerdos[10],

Quem si fata virum seruant[11], *furor impius intùs*

Sæua sedens super arma[1] *meo*[10], *cadet hostia*[1] *Gallo.*

Concurrunt Tyrrbenæ acies[a] *atque omnibus vni*[b],

Vni odiisque viro, telisque frequentibus instant[9],

Assuetúmque malo Ligurem[2] *certamine pugnæ*[11]

Et iam iámque magis cunctantem[11] *vincere malunt*[10].

Hic amor, hæc patria est[3], *vltrò implacabilis ardet,*

Attollítque animos[12] *Leo*[9], *vastos aureus ignes.*

(Qui lugubre rubent[10]*) vomit ille*[10], *& fulminat armis*[12]

Asper, acerba tuens retrò[10], *iámque horret Iberos*[3].

Hinc Augustus agens Italos in prælia Cæsar[8]

Continuò accendit[12], *ferrugine clarus Iberâ*[9]

Spémque, metúmque inter[1] *premit altum corde dolorem*[1],

Intremuêre vndæ, penitúsque exterrita tellus

Italiæ[3], *veniente Aquila*[9] *Iustissimus vnus*[7]

Laudibus Italiæ certans[2], *quàm gurgite Ibero*[11]

Finibus expulsam patriis, noua Regna petentem[c],

Per tot ducta viros, antiquæ ab origine gentis[2],

Siue Padi ripis, Athesim seu propter amœnum[9]

Trans pontum fugat, & terris immittit apricis[6]

10 Eminentissimus Cardinalis Dux. 10 A

11. A. 10 B

1 Bellũ ciuile. 1. A. 1 A.

1 Eminentissimo Cardinali Duci.

a Exercitus Reip. Venetæ.

b Duci Spinolæ Genuensi. 9 A.

2. A. 11.

12. A. 1. A

3 A. 12. A.

9 S. Marcus Venetus. 9. A.

10. A. 10. A.

12. A.

10. A. 3. G.

Imperator. 8 A

9 Ex prosapiâ Austriacâ. 12. A. 9. A.

1. A. 1. A.

9 Exercitus Imperatoris.

7 Ludouicus Iustus. 3. A. 9. A

2 Ad gloriam & vtilitatem Procerum. 2. A. 7 A. 11. A.

c Indiarum.

1 Quos deleuit Hispanus.

9 in Italiâ. 2. A.

9. A.

6. A

Oceani finem iuxtâ, Solémque cadentem[6]. 6.A. *6 in Hispaniam.*

At qui deindè Locumtenuit virtute Secundum

Nobilis & famâ multis memoratus in oris[7] 7.A.

10.A. *Æmonides*[10]*, stimulos acres sub pectore vertit*[9], 9.A. *10 Eminentissimus Cardinalis Dux.*

9.A. *Bellatórque animo Deus incidit*[9]*, omine magno*[7] 7.A.

6.A. *Nomen & arma Locum seruant*[6]*, quem Terra triumphis*

4.A. *Diues alit*[4]*, neque apud Danaos vsquam Locus illi*[2] 2.A. *4 Alluſio ad gentilitium nomen de Richelieu.*

6.A. *Classibus hîc Locus*[6]*, hîc acies certare solebant*[2] 2.A. *2 apud hostes. 6 Oceano Gallico Præpositus.*

8.A. *Flos veterum, virtúsque virûm*[8]*, sub Rupe sinistrâ*[6]*,* 6.A. *2 Poliorcetes. 6 Rupellæ excidium.*

Hîc vbi disiectas moles, diuulsáque saxis

2.A. *Saxa vides*[2]*, vbi mista rubent & liliâ multâ*

12.A. *Alba rosâ*[12]*, toto semotos orbe Britannos*[1] 1.B. *12 Anglorum strages.*

3.A. *Quæ colit*[3]*, atque notas & nomina gentis inurit*[3]*:* 3.G.

O fortunatos nimium (sua si bona norint[2]*)* 2.G.

5.A. *Italiæ populos*[5]*, exercitus appulit oris*[7]*,* 7.A. *7 Regis Christianissimi.*

Et reduces Cycni ludunt stridentibus alis[1]*,* 1.A. *1 qui Mincio supernatant.*

Libertas quæ sera tamen respexit[1]*, vt omni* 1.B.

9.A. *Ordine delectos*[7] *pulcherrima vindicet armis*[6]*,* 6.A. *6 ad securitatem Principum Italiæ.*

7.A. *Hanc Latio restare canunt*[7]*, hanc poscere fata,*

Et reor, & si quid veri mens augurat, opto[7] 7.A.

10.A. *Quidve ferat, quidve ipsa petat*[10]*, sunt oppida capta*[10]. 10.A.

12.A. *Multa manu*[12]*, Rege incolumi mens omnibus vna est*[4]*,* 4.G. *4 Ludouico Iusto Italiæ assertore.*

6.A. *Qui regere imperio populos*[6]*, indicere bella*[7] 7.A.

Tutari Italiam, defendere finibus hostem[7],
12. A. *Siue animis, siue arte valet*[12], *dum vnius ob iram*
Prodimur, atque Italis longè disiungimur oris[1]. 1 A.
11. A. *Cedat ius proprium Regi*[11], *tu maxime Regum*[11],
Audisti, & quæ sit magno sententia bello[11].
Vrbs antiqua ruit, multos dominata per annos[2], 2 A
10. A. *Fatidicæ vatis Mantûs*[10] *tu concipe curam*[11]
Ecce ruit, magnísque vrbem terroribus implet[1], 1 A
Et qualem amisit infœlix Mantua campum[2], 2 G
Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ[9] 9 B
2 *Imperatoris vsurpatio.* 5. A. *Fata trahunt*[5], *Regni nouitas*[2] *hanc talia cogunt*
Moliri; & latè fines custode tueri[1], 1 A
1 *Legione Gallicana.*
6 *Ludouicus Pius.*
6. A. *Hæ tibi erunt artes*[6], *animum tentare precando*[6], 6 A
9 *Fœlix inclytus qui debellauit Rupellam aliásque vrbes, & Sabaudiam, & Lotharingiã.* 12. A. *Hesperiam metiri*[12], *& debellare superbos*[6]. 6 A.

DV MAY.

LVDOVICO XIII:

PIO, IVSTO, VICTORI, AC semper Augusto, in aggerem quo Rupellensis portus obstruitur,

EPIGRAMMA.

NEMPE *Tyrum cepit Macedo, postquam æquora siccans*
Arte solum fecit quod fuit ante salum:
Hoc circum præstas urbem LODOICE *rebellem,*
Aggere dum stringis quà freta lata fluunt.
Macte animo, succedet opus famulantibus undis,
Súbque tuum veniet gens inimica iugum.
Non es Alexandro minor, & munimine maior
Antiquâ non est ipsa Rupella Tyro.

GRAMMONT

DE EADEM OBSIDIONE RVPELLÆ, EIDEM REGI CHRISTIANISSIMO.

CERNE *Syracusas Vrbs inconsulta labantes,*
Damnáque in exemplum sint aliena tibi.
Machina multa foris longo quatit ordine muros,
Intus & è muris machina multa furit,

Attamen vrbs capitur: quam ſpem Rupella ſalutis,
Aut quid opis qua te iam tuearis habes?
Non te Marcellus, verùm Mars obſidet ipſe,
Qui fera nunc in te iuſtius arma mouet.
Sunt foris Archimedes multi tibi damna parantes,
At nullus qui te protegat, intus adeſt.

Idem.

DE EADEM OBSIDIONE EIDEM REGI CHRISTIANISSIMO.

OMNIA conſpirant, felicibus vtere fatis
Auſpiciis ô Rex nunc metuende tuis.
Nam neque ſæuis hyemis certis oblita reuerti
Menſibus, & Veri præbet amica locum.
Nec prohibet cœptam Neptunus creſcere molem,
Qua mox frænatæ conſpicientur aquæ.
Eia age Magnanime, & melioribus edite ſeclis,
Perfice quod Patres non potuere tui.
Tentatas vanis aliàs conatibus arces
Dirue, ſunt auſis peruia cuncta tuis.
Omnia tuta foris, ceſſere è finibus hoſtes,
Nullus vicinus cominus arma mouet.
Interius non eſt æquo contendere marte,
Qui tecum valeat, ſi benè mente valet.
Non deſunt nummi, non deeſt exercitus ingens,
Bellica te circum fulmina multa tonant.
Non virtus generoſa Ducum, non deficit ardor,
Non lectis etiam vis animoſa viris.

Non

Non tibi consilium, non mens, fortunáque desit,
Non Regni populis intemerata fides.
Quòd si deficerent hæc omnia: salua Rupella
Propterea non est, nec sua fata fugit.
In præceps malesida suis oppressa ruinis
Vnus Richelius si superabit, abit.

Idem.

IN AGGEREM RVPELLENSEM.

MOENIA deiiciunt cupientes arce potiri;
Rex murum, vt muros diruat, ædificat.

Idem.

DE ARCIBVS TOTA GALLIA DEMOLIENDIS.

QVÆ nullis poterant tormentis antè reuelli,
Vt Rex ore iubet, mœnia multa cadunt.
Gallia ne propriis adhibe Mauortia muris
Fulmina, iussa suum Regia fulmen habent.

Idem.

REGI SALVTI RESTITVTO SOTERIA.

GALLIA pone metum: posuit vis effera morbi,
Quo fuit in dubiò Regia penè salus.
Qui tenuit Regem timor est transmissus ad hostem,
Maiori quàm Rex æstuat ille febri.
Et quamuis rigor omnis abest, horrórque recessit
Artubus, haud dici liber & ipse potest.

Cui creat acceſſus bellandi martius ardor,
Et generoſa pio vena calore micat.
Si febris hæc ſoluetur, erit certiſſima Criſis,
Non Regis, ſed qui ſanguis ab hoſte fluet.

Idem.

EIDEM REGI IN IDEM ARGVMENTVM.

NON Gallum Æſclaplio debes, ſed Gallia cunctis
Ipſa tibi Gallos debet, propriámque ſalutem.

Idem.

EIDEM REGI CHRISTIANISSIMO, OB REPENTINAM DE ANGLIS victoriam.

DIC Veni, Vidi, Vici, fortiſſime Princeps,
Dic aliquid quod non Cæſar & ipſe queat
Abſens namque potes vel famâ vincere, ſicque
Nílque venire opus eſt, nílque videre tibi.

Idem

DE SVPERATIS A REGE ALPIBVS ASPERA HYEME.

ANNIBALEM fama eſt obiectas molibus Alpes
Si qua fides, acedo perdomuiſſe mero.
Tu LODOICE tibi per tela atque ynïa tela,
Pérque niues altas conficis enſe viam.

Quantum igitur ferro cedit liquor acris aceti,
Tantum cedat atrox Annibal ipse tibi.
Idem.

VOTVM
PRO LVDOVICO XIII.
IN ITALIAM SEMEL ATQVE ITERVM PROFICISCENTE.

IQVE redíque viam medias LVDOVICE *per Alpes,*
Præruptos laterum obiectus, vicináque cœlo
Saxa, & vallatas aduerso milite turres
Sterne solo æquans, & victrici deiice dextra:
Pandet iter durum Pietas assueta triumphis.
Illæ Getuli non sic cessere tyranni
Exesæ ferro quondam, non Carolus altis
Sic tormenta iugis transmisit bellica, turmas
Puluerulentus agens. Quos scilicet vssit habendi
Cæcus amor, propriis aliena adiungere Regnis
Per fas atque nefas auidi liquere Penates.
Te verò ardentem (gaudes cognomine IVSTI*)*
Iustitiæ armauit studium, rectique cupido.
Pro templis quoties & Religione parentum
Pugnasti, patiens æstus hyemísque laborum?
Vicisti tandem, ac monstri caput ense recisum est.
Vix reducem complexa sinu Lutetia, cum iam
Finibus egressum patriis cum milite denso
Et videt Italia, & sentit matura ferentem

Auxilia in rebus dubiis: non frigus eunti,
Non hyemes fecere moram, non ardua montis
Asperitas, non coniurato denique furto
Allobrogum manus, Imperiique exercitus omnis.
Muri Casales inscripti nomine tanto
Postibus aduersis clari monimenta trophæi
Æternùm seruant fidelis victura futuris.
At quicunque iterum polluta pace Latinis
Bella mouet sociis periuri Allobrogis arte;
Siue suo Germanæ acies cum Cæsare, siue
Insubres, Orbique inhians prædator Iberus
Sentiat iratum, & fuso det sanguine pœnas.
Nec vos defendent eductæ ad sydera moles:
Qui potuit frænum, spatiique imponere leges
Oceano, facilè idem fulminis ocior ictu
Perrumpet scopulos, atque Alpibus ibit apertis.

ROCHEMAILLET.

LVDOVICI IVSTI
REGIS CHRISTIANISSIMI,
SEMPER AVG. SEMPER VICT.

LAVDES.

VNDE stupendarum tam prodigiosa Latinas
Trans Alpeis, trans Oceanum, Rhenúmque, tuique
Perturbata intra Regni penetralia, Regum
IVSTE Triumphator, laudum incrementa tuarum?
Consiliísne Armísne priùs? nutúne Tonantis?

Fortunæ an fausto casu tot fulmine sparsas?
Tótque datas vltro variis regionibus Vrbeis
Imperiis cessisse putem, victósque tot hosteis
Armis occubuisse tuis? Dum mente recurrit
Rapta Caledonio quam iam possederat, hosti
Tanè Rea exanimata fame, Exiguæque furentis
Ponti æstus inter, tormentorúmque fragores,
Alta carinarum per propugnacula iussæ
Sam-Martinæo lintres consistere Portu.
Dum subit Anglorum strages, prensáque fugatas
Buchinchamus atrox tellure, leuíque Reanis
Quæ tot strata manu iacuêre cadauera campis.
Dum tibi visa simul, tibi victa Bearnia nullo
Sanguine, fulminibus nullis: vt mœnia REGI
Disclusêre suo pronæ reuerentius Vrbes,
Quas vagus obliquis latè Gaber alluit vndis;
Hæreo! & attonitam rapit admiratio mentem.
At Rupella breuem prô! expugnata sub annum,
Santonici Domina illa maris, quam saxea circùm
Immani substructa situ castella tegebant,
Mœniáque amplexus, certáque ex lege recurrens
Diuiduis semper cingebat Nereus vndis.
Illa sui dudum iuris; cui mille, potenti
Regibus inuitis, Regno, prô! dedecus, Vrbes
Parebant, animi vnde ollis, odiúmque, furórque
In Dominos; Illa imperium indignata REGENTVM
Vt flexâ terris circumuallata coronâ:
Vt mole horrendâ saxorum vndosa repulsus
Sub claustra Oceanus; frendénsque furénsque relictâ
Vndarum Tibi transcripsit, ditione Tridentem;

Horreo! Sed quisnam supereſt mihi ſenſus? vt vno
Vix dum acto circum terras Hyperiones axe,
Bis centum exutas murorum molibus vrbeis
Adſpicio! totidem euictas! ſpretúmque tot annos
Suſcepiſſe iugum collo! ſtratáſque bis Alpeis!
Audio & Alpinis centum quoque montibus Arceis
Latè expugnatas, Pinariolúmque receptum!
Bis magno victam Allobrogem certamine! fuſas
Bis quoque Cæſareas acies, Aquiláſque fugatas!
Hiſpano rubuiſſe Italos bis ſanguine campos.
Bíſque etiam Heſperiâ obſidione Caſale ſolutum!
Quô Geniô? quibus auxiliis? Martíſne? priúſne
Pallados auſpiciis? nutúne hæc acta Tonantis?
An Fortuna tuis famulatur blandior auſis?

ECCE nouam REX MAGNE *tuis ingentibus vltrò*
AVSTRASIÆ *placuit Palmam acceſſiſſe Triumphis.*
Quis credat placuiſſe? immò ceſſiſſe coactam;
Bíſque intra reſeraſſe decem Tibi mœnia Soles
NANCEIVM *atque omneis Lotharenis finibus vrbeis?*
NANCEIVM! *cuî nec murorum Vrbs vlla decòre,*
Non foſſis, non aggeribus, non mole, nec armis,
Terrarum immenſò vix perſpectatur in Orbe,
Præſidiis cuî ſæua ſolo RVPELLA, *ſalôque,*
Dum ſtaret quondam inuidit, licet ipſa ſuperbis
Æmula ſidereas æquaret turribus arceis,
Et refluis circùm Oceanus ſibi luderet vndis.
Ipſa inuidiſſet Nili aſſita margine MEMPHIS,
Ardua Pyramidum iactans faſtigia MEMPHIS.
Ipſa inuidiſſet, quam tantis ſumptibus olim,

Fastúque insanô pharetrato Semiramis Vrbem
Coctilibus struxit saxis, latisque per omneis
Diffusam spatiis tractus, & turribus æquis
Distinxit murum, patrióque bitumine vinxit,
Huic tamen huic placuit LODOVEE *ingentibus vltrà*
Vltrò nec inuitam Palmam accessisse Triumphis.
Sed quis displicuisse putet? cùm Filia Matris
Ægrè olim diuulsa sinu, Externóque locata
Sponsa viro, Francos semper spiraret amores;
Posthabitôque Ducis gestiret viuere REGIS
Imperiô, quô nec Maior Pietate nec Armis.
Nunc quoque in abruptis iungi Tibi Francia vinclis
Æternùm illa cupit. Quæ Magni Gloria REGIS
Hanc sociasse sibi; Tanta est tua Gratia, Clare
RICHELIDE, *felix vtriusque in amoribus Auspex.*
Hæreat æternâ vinctus modò IVSTE *catena*
RICHELIVS *Tibi, Consiliis qui dirigat Arma,*
Mens Dextræ inconcussa tuæ, sanûsque furentis
REX, *Animus Gladij. Ni sit Prudentia vecors;*
Ni prudens Furor; aut cedat Tritonia Marti,
Ille tuis? Totum summittet Legibus Orbem.

EPINICIVM LVDOVICO FRANCORVM REGI CHRISTIANISSIMO,

Ob receptam Rupellam, repulsámque Anglorum classem.

IOANNIS BAPTISTÆ DONI.

Strophe.

DVLCES Melpomene modos,
Doctúmque blanda temperans carmen lyra;
Pindi virentis nubiferum iugum,
Gratúmque Parnassi nemus
Linque. nam celsum superare dorsum,
Hibernásque niues te decet Alpium;
Vt dite Regnum Ligeri ducis
Visas impigra, & illius
Iucundum alloquium petas:
Qui hunc minaces hostium Britannorum
Cedere classes,
Rupellámque sibi tandem parere coëgit.

Antistrophe.

Neu te detineant caue
Florentis olim, nunc iacentis Græciæ

Dilecta

Dilecta ſedes, & loca priſtini
Decoris orba. Per vices
Cuncta vertuntur: viduata cultu
Antiquo, Danaùm ſqualet inops ſitu
Laudata tellus Palladis artibus:
Quas nunc præcipuè fouet
Pubes Celtica, Ionici
Heres lepôris, Sequanæ profundi
Candida potrix;
Mœnia qui doctis certantia lambit Athenis.

Epodus.

Saluete caſtis mœnia
Muſis cognita: dulcibus
Cincta vinetis, teneriſque campis.
Salue feracis Galliæ auguſtum caput:
Pollentis Europæ refulgens
Salue lumen: auitis
Vrbs florens opibus; læta frequentibus
Vndantis populi globis,
Qui feruidis exæſtuant plateis.

Strophe II.

Sed Regum laribus ſacris,
Sceptríſque priſcis iure præfulgentior,
Qui bellicoſas Francigenûm manus,
Florem trucis Germaniæ,
Galliæ victis populis opimæ,
(Quos diues rerum copia, & otium
Luxúſque ſegnis fregerat, & togæ

Molles Ausoniæ sinus,
Sæuis fascibus additi)
Admiscuere: gentis vt comatæ
Pristina virtus,
Atque decor capitis cum libertate rediret.

Antistrophe II.

Fatorum stabiles vices
Quippe æuiternâ lege spondebant genus
Vtroque mistum sanguine, bellicis
Palmis futurum nobile:
Quódque nec posset graue barbarorum
Vnquam ferre iugum, nec scelus impotens
Infesta Petro signa mouentium,
Sacrísque Italiæ focis,
(Altrix Christiadum, & parens
Quæ blanda fertur Orbis & magistra)
Linquere inultum:
Pipinus docet, & Caroli bello inclyta virtus.

Epodus II.

Astulfus hunc sensit minax:
Hunc Desiderius furens.
Vindicem Patris rigidum supremi,
Qui septicolli oracula fundit vertice.
Erepta quid dicam nefandis
Christi busta Calisis?
Quid Thracen domitam, & cornua Bosphori
Duris cæsa bipennibus?
Auláque pulsos perfida Tyrannos?

Strophe III.

Sed quo Mnemoſyne abripis
Vaſtum per æquor lintre ſubnixum leui?
Palmas auorum, priſcáque me vetat
Euoluere acta Cynthius:
Ambiens ſacro mihi pectus æſtro,
Venturi vt referem temporis abdita.
O quæ Latinis arcibus æmula,
Piſcoſóque mari tumens,
Ponti clauſtra tenes trucis:
Quid ſæua vinclis Helladem ſuperbis
Vſque coërces?
Haud longum Sythico demens dominaberis arcu.

Antiſtrophe III.

En flauæ pharetram DEVS
Iam iam coruſcis Galliæ implet ſpiculis,
Queis perduelles cum populos lubet,
Gentéſque ſubdit impias.
Aëre fulgentes equitare turmas
Campis Odryſiis rurſus, & obuiis
Depræliantem cerno Aquilonibus
Vicini è Rhodopes iugis,
Quondam deciduam polo,
Splendentis auri flammulam, iubáſque
Triſte minantes
Turcarum, & diras Arabum proſternere Lunas.

Epodus III.

En aurea vt Byzantiis
Latè lilia turribus
Fulgurant! veram tueórne formam:
An vana mentem imago ludit credulam?
At non inanis corda certè
Spes incerta fatigat.
Vates quippe ſacri Turcica Regibus
Spondent ſceptra Capetidis,
Ipſíſque carmen barbaris auitum.

Strophe IV.

O ſi carpere adoream
Hanc fata tandem LVDOVICE *te ſinant*
Poſſim cruentos, poſſim vtinam in Scythas
Gallos ruentes cernere,
Maxime ô Regum, duce te feroces.
Non me Pieridum detineat chorus,
Blandaque voces, ſigna micantia
Greſſu ne ſequar impigro.
Natis fas terrere orbitam
Laudis paternæ. ſic & ipſe charum
Sed genitorem
Excipiam, HENRICI *felicia ſigna ſequutum.*

Antiſtrophe IV.

Felix qui potuit loca
Luſtrare tecum im[illegible]
Calum[illegible]

Armis triumphatus furor:
Tótque deuictis populis proteruæ
Vrbes edomitæ, quas Aquitania
Glebà feraci diues alit; virùm
Mater nobilis acrium:
Et quas aut Rodani rapax
Circum fluentum lambit, aut propinquus
Halitus afflat;
Oppida quæque vetus Benearnùm insederat error.

Epodus IV.

Non monstra tot leto ferox
Heros Ogygius dedit,
Quot repurgasti superis, tibíque
Hydræ rebellis, flore primæuo virens,
Turpes latebras. cedat ergo
Ingens Excetricida
Nomen, cum titulis, Herculeum & decus:
Cedat. Gallicus Hercules
Vnus vocetur ergo LVDOVICVS.

Strophe V.

Illum Musa decens adi,
Blande salutans: obuium se se dabit,
Vltro cuocans te. Gallicus Hercules
Musas vt inuitet lubens
Scis probe: & comis faciliſque quam sit
Celtarum soboles magnanimùm; quibus
Hospitales nulla benignius
Patuere serat lares.

Epodus VI.

Hac laude nec tecum parem
Ergo se gerere audeat
Vrbis euersor Durio propinquæ;
Quem castitatis gloria æquasti, & fide.
Hostes Iberos vltus ille est
Ferro, atque ignibus: escam
Victis, & veniam tu durare sustines.
Sic ter vincis, amabilem
Victisque bis das LVDOVICE *vitam.*

Strophe VII.

Qui vasti fluidum maris
Dorsum carinis, stipitúmque robore
Exaggeratis edomitum, pati
Et vincla compulsum canat?
Queis reluctatus. breuiore quamuis
Discluſus spatio, nexile Persici
Septum tyranni, Pontus ouantibus
Helles fluctibus obruit.
Quanquam is mille phalangibus
Siccaret amnes, compedésque vecors
Mille pararet
Confisus ratibus Neptuno inferre potenti.

Antistrophe VII.

Mox illi, stolide ferox,
Quod vincula excussisset, incussit flagra:
Risere ponti numina barbarum

Xerxis

Xerxis furorem, triſtibus
Cladis exemplis miſeræ piandum.
Teſtatur Salamis ſanguine Medico
Late rubeſcens, & Lacedæmonis
Ingens Thermopylæ decus.
At quid Relligio, & pius
Diuûm metus non efficax? tumentis
Clauſtra profundi
Tu premis, Oceaníque minas compeſcis & æſtus.

Epodus VII.

Fas nempe, cui cœleſtium
Agmen militat orbium,
Huic procelloſi vada ſalſa ponti
Parêre ſemper: quid proteruis fluctibus
Rupella fidis? æſtuantem
Phœbes lampade Thetyn,
Et quæcunque ſalum ſidera commouent,
Incaſſum auxilio expetis:
Fruſtra remotos aduocas Britannos.

Strophe VIII.

Gens Neptunicola arduis
Quæ puppibus proſcindit vndoſum mare;
Gens æſtuoſo diſſita littore
Lætíſque turgens meſſibus;
Non magis ſepti penetrale portus
Perrumpens ratibus veliuolis, opem
Gratáſque fruges mœnibus inferet,
Quam roſtris queat æreis

Isthmum rumpere Achaicum.
Fatale nomen ergo fastuosis
Scilicet Anglis,
Rupellæque timens, LVDOVICVM *agnosce potentem.*

Antistrophe VIII.

Quæ dementia, quis furor
Gens iuris expers, hostibus protendere
Dextras amicas cogit atrocibus?
Vt plura vestrum scilicet
Spicula in Regem, patriósque fines
Librata immineant: ô scelus! ô pudor!
Ne quos procacis praua licentiæ
Torquet cura, salubrium
Legum frœna coërceant.
Caluinianæ pestis ah nefanda
Vlcera, Regum
Agnosco heu semper sceptris inimica verendis

Epodus VIII.

Regale sceptrum Francicum
Sed conuellere quis queat?
Nam nec insanas metuit procellas;
Nec turbines Cocytios: radicibus
Quippe hæret altis; insitúmque
Heroum superùm manu,
Crebris cum viridi daphnidè surculis
Palmæ non fragilis viret;
Frangíque nescit, flectitúrque tantum,

Strophe IX.

Tu vero æmula peruicax
Cœlo placentis Galliæ Britannia,
Vesanientis pone superbiæ.
Tandem ferocem spiritum:
Non dolos, non vim minitantis hostis
HENRICI soboles magnanimi pauet:
Nec blandienti deditus otio,
Luxúque Assyrio putris,
Curis torpet inertibus:
Sed bellicosà strenuus iuuentà,
Primus ad arma
Prosilit, aduersas acies atque increpat vltro.

Antistrophe IX.

Quòd si tantus inæstuat
Vestris cruoris ardor in præcordiis;
Piscosi Tamesis margine ab extimo,
Ad fabulosas Orcadas,
Dissonas gentes, gelidæque quotquot
Iuuernæ latebras frondiferas colunt,
Curuo refundat litore Santonum,
Seu mauult Morinùm plagâ,
Diues nauibus Albion.
Vt discat: haud impune, lecta quantum
Gallica pubes
Rege sub inuicto violentis fulminet armis.

Epodus IX.

Aſt Ageſinnis inſula
Prætenta edocuit ſatis
Reia: quam vaſtis Britonum carinis,
Denſas cohortes vndique euomentibus,
Per vim petitam, mox cruentà
Nereus cæde natantem
Vidit; Francigenûm flos equitum ſuis
Certatim ſociis opem
Dum fert per vndas, obuióſque fundit.

Strophe X.

Tum Villarius impotens
Spectans aceruos ciuium occumbentium,
Fortéſque Gallos præcipiti impetu
Deſæuientes: horridis
Mænali in ſiluis alacres, Moloſſi
Vt preſſim exagitant horripilos ſues;
Nec pigra tardant ſtagna, nec aſperis
Luſtra imperuia ſentibus:
Non vis, non animus ferox
Deſunt Britannis, inquit: at ſuperna
Fata repugnant,
Vt video, & noſtris Superi conatibus obſtant.

Antiſtrophe X.

Ex quo Gallia diſſitos
Collegit artus, & Burgundiæ occidit
Stirps æmulatrix, altius in dies

Succreuit, extollens caput:
Gentis at noſtræ penitus reciſa
Spes areſcit enim. Borbonius potens
Quid non minaci perficiet manu,
Fratris dextera Martij
Cui fida obſequitur comes:
Quam purpurati lux ſenatus, acri
Mente coruſcans,
Conſilio regit Armandus, curáque fideli?

Epodus X.

Non pectoris conſtantia,
Non dulce eloquium viro
Suppetit parcè. Sociata virtus,
Rupella, Achillis Neſtoríſque Pergama
Strauit: quid vltra Saxonum carinis
Pugnas freta? pudendum
Quæ debent iterum ludibrium mari;
Regi tu decus inclytum,
Ingens Latino gaudiúmque Patri.

REGIS VICTORIA LEGES OBPRESSAS INSTAVRAT.

MISCEBAT cæcos ex-lex Rupella tumultus,
Abſtulerátque ſuo debita iura ſalo.
Nunc fluit edomitus nullo cum murmure Pontus,
Et Rupella ſilet, Rex vbi victor ouat.
Subdita LVDOICO *quantum Rupella lucrata eſt,*
Cùm ſine Rege fuit, tum ſine lege furit.

NICOLAVS IOVRNEE Tricaſſinus.

EPINICIVM LVDOVICO FRANCORVM REGI CHRISTIANISSIMO,

Ob receptam Rupellam, repulsámque Anglorum classem.

IOANNIS BAPTISTÆ DONI.

Strophe.

DVLCES *Melpomene modos,*
Doctúmque blanda temperans carmen lyra;
Pindi virentis nubiferum iugum,
Gratúmque Parnassi nemus
Linque. nam celsum superare dorsum,
Hibernáque niues te decet Alpium;
Vt dite Regnum Liligeri ducis
Visas impigra, & illius
Iucundum alloquium petas:
Qui hunc minaces hostium Britannorum
Cedere classes,
Rupellámque sibi tandem parere coëgit.

Antistrophe.

Neu te detineant caue
Florentis olim, nunc iacentis Graciæ

Dilecta

Dilecta ſedes, & loca priſtini
Decoris orba. Per vices
Cuncta vertuntur: viduata cultu
Antiquo, Danaùm ſqualet inops ſitu
Laudata tellus Palladis artibus:
Quas nunc præcipuè fouet
Pubes Celtica, Ionici
Heres lepôris, Sequanæ profundi
Candida potrix;
Mœnia qui doctis certantia lambit Athenis.

Epodus.

Saluete caſtis mœnia
Muſis cognita: dulcibus
Cincta vinetis, teneriſque campis.
Salue feracis Galliæ auguſtum caput:
Pollentis Europæ refulgens
Salue lumen: auitis
Vrbs florens opibus; læta frequentibus
Vndantis populi globis,
Qui feruidis exæſtuant plateis.

Strophe II.

Sed Regum laribus ſacris,
Sceptríſque priſcis iure præfulgentior,
Qui bellicoſas Francigenûm manus,
Florem trucis Germaniæ,
Galliæ victis populis opimæ,
(Quos diues rerum copia, & otium
Luxúſque ſegnis fregerat, & togæ

Molles Ausoniæ sinus,
Sæuis fascibus additi)
Admiscuere: gentis vt comatæ
Pristina virtus,
Atque decor capitis cum libertate rediret.

Antistrophe II.

Fatorum stabiles vices
Quippe æuiternâ lege spondebant genus
Vtroque mistum sanguine, bellicis
Palmis futurum nobile:
Quódque nec posset graue barbarorum
Vnquam ferre iugum, nec scelus impotens
Infesta Petro signa mouentium,
Sacrísque Italiæ focis,
(Altrix Christiadum, & parens
Quæ blandâ fertur Orbis & magistra)
Linquere inultum:
Pipinus docet, & Caroli bello inclyta virtus.

Epodus II.

Astulfus hunc sensit minax:
Hunc Desiderius furens.
Vindicem Patris rigidum supremi,
Qui septicolli oracula fundit vertice.
Erepta quid dicam nefandis
Christi busta Califis?
Quid Thracen domitam, & cornua Bospori
Duris cæsa bipennibus?
Auláque pulsos perfida Tyrannos?

Strophe III.

Sed quo Mnemoſyne abripis
Vaſtum per æquor lintre ſubnixum leui?
Palmas auorum, priſcáque me vetat
Euoluere acta Cynthius:
Ambiens ſacro mihi pectus œſtro,
Venturi vt referem temporis abdita.
O quæ Latinis arcibus æmula,
Piſcoſóque mari tumens,
Ponti clauſtra tenes trucis:
Quid ſæua vinclis Helladem ſuperbis
Vſque coërces?
Haud longum Sythico demens dominaberis arcu.

Antiſtrophe III.

En flauæ pharetram DEVS
Iam iam coruſcis Galliæ implet ſpiculis,
Queis perduelles cum populos lubet,
Gentéſque ſubdit impias.
Aëre fulgentes equitare turmas
Campis Odryſiis rurſus, & obuiis
Depræliantem cerno Aquilonibus
Vicini è Rhodopes iugis,
Quondam deciduam polo,
Splendentis auri flammulam, iubáſque
Triſte minantes
Turcarum, & diras Arabum proſternere Lunas.

Epodus III.

En aurea vt Byzantiis
Latè lilia turribus
Fulgurant! veram tueórne formam:
An vana mentem imago ludit credulam?
At non inanis corda certè
Spes incerta fatigat.
Vates quippe ſacri Turcica Regibus
Spondent ſceptra Capetidis,
Ipſíſque carmen barbaris auitum.

Strophe IV.

O ſi carpere adoream
Hanc fata tandem LVDOVICE *te ſinant*
Poſſim cruentos, poſſim vtinam in Scythas
Gallos ruentes cernere,
Maxime ô Regum, duce te feroces.
Non me Pieridum detineat chorus,
Blandæque voces, ſigna micantia
Greſſu ne ſequar impigro.
Natis fas terrere orbitam
Laudis paternæ. ſic & ipſe charum
Sed genitorem
Excipiam, HENRICI *felicia ſigna ſequutum.*

Antiſtrophe IV.

Felix qui potuit loca
Luſtrare tecum impreſſa tot victoriis.
Caluinianus quas peperit tibi

Armis triumphatus furor:
Tótque deuictis populis proteruæ
Vrbes edomitæ, quas Aquitania
Glebà feraci diues alit; virùm
Mater nobilis acrium:
Et quas aut Rodani rapax
Circum fluentum lambit, aut propinquus
Halitus afflat;
Oppida quæque vetus Benearnùm infederat error.

Epodus IV.

Non monstra tot leto ferox
Heros Ogygius dedit,
Quot repurgasti superis, tibíque
Hydræ rebellis, flore primæuo virens,
Turpes latebras. cedat ergo
Ingens Excetricida
Nomen, cum titulis, Herculeum & decus:
Cedat. Gallicus Hercules
Vnus vocetur ergo LVDOVICVS.

Strophe V.

Illum Musa decens adi,
Blande salutans: obuium se se dabit,
Vltro euocans te. Gallicus Hercules
Musas vt inuitet lubens
Scis probe: & comis faciliſque quam sit
Celtarum soboles magnanimùm; quibus
Gens hospitales nulla benignius
Externis referat lares.

Ergo illi placidos age
Famæ ſuſurros garrulæ, nouæque
Laudis honores
Incluſos numeris regales perfer ad aures.

Antiſtrophe V.

Vt quas igniuomi fragor
Aëris tremendus, clauſtra quo remugiunt
Conuexa mundi (Salmoneus ferox
Hoc vim coruſcam fulguris
Fertur, ac telum Iouis æmulatus,
Ambuſti capitis ſupplicio horridas
Hauſiſſe pœnas) & rebibantibus
Arguum tuba tympanis
Miſcens, aſſiduè imbuit;
Neruis remiſtum mulceat ſonoris
Carmen; acerbas
Quod curas abigat, ferat, & ſolatia laſſo.

Epodus V.

Carmen virorum fortium
Duris feſſa laboribus
Pectora optata refouet quiete,
Dulcíque laudum corda inundat nectare.
Quod contumax hoſtis ſubactus
Olli iure propinat
Hauſtu largifluo: gloria multiceps
Quippe hanc ſpargit adoream
Terras per omnes, ora pérque uatum.

Strophe VI.

Nam quid promtius eloquar?
Vrbisne magno militum molimine
Vallata circum mœnia: vt impiger
Venator includit feras
Cassibus densis? populumne fœdis
Obsessum dapibus (dum trepidat mori)
Vesci coactum? dira necessitas
Pœna sed tamen effera
Plerósque abripuit nece;
Ne polluendus impio cruore
Gallicus ensis,
Inuisam superis gentem detruderet Orco.

Antistrophe VI.

An verò potior fides
Illæsa semper? mentis an constantia,
Durare longo tempore pertinax,
Segnes vel aduersus moras?
Santonum posthac prohibente tractu,
Iactabit leuius fama Numantiam.
At nullus, Heros inclyte, flosculus
Palmam sic decorat tuam,
Vt clementia Regibus
Antiqua Francis. hinc DEVS *labantem*
Sæpe misertus
Fortunam Regni, clementer fouit & auxit.

Epodus VI.

Hac laude nec tecum parem
Ergo ſe gerere audeat
Vrbis euerſor Durio propinquæ;
Quem caſtitatis gloria æquaſti, & fide.
Hoſtes Iberos vltus ille eſt
Ferro, atque ignibus: eſcam
Victis, & veniam tu durare ſuſtines.
Sic ter vincis, amabilem
Victiſque bis das LVDOVICE *vitam.*

Strophe VII.

Qui vaſti fluidum maris
Dorſum carinis, ſtipitúmque robore
Exaggeratis edomitum, pati
Et vincla compulſum canat?
Queis reluctatus. breuiore quamuis
Diſcluſus ſpatio, nexile Perſici
Septum tyranni, Pontus ouantibus
Helles fluctibus obruit.
Quanquam is mille phalangibus
Siccaret amnes, compedéſque vecors
Mille pararet
Confiſus ratibus Neptuno inferre potenti.

Antiſtrophe VII.

Mox illi, ſtolide ferox,
Quod vincula excuſiſſet, incuſſit flagra;
Riſere ponti numina barbarum

Xerxis

Xerxis furorem, triſtibus
Cladis exemplis miſeræ piandum.
Teſtatur Salamis ſanguine Medico
Late rubeſcens, & Lacedæmonis
Ingens Thermopylæ decus.
At quid Relligio, & pius
Diuûm metus non efficax? tumentis
Clauſtra profundi
Tu premis, Oceaníque minas compeſcis & æſtus.

Epodus VII.

Fas nempe, cui cœleſtium
Agmen militat orbium,
Huic procelloſi vada ſalſa ponti
Parêre ſemper: quid proteruis fluctibus
Rupella fidis? æſtuantem
Phœbes lampade Thetyn,
Et quæcunque ſalum ſidera commouent,
Incaſſum auxilio expetis:
Fruſtra remotos aduocas Britannos.

Strophe VIII.

Gens Neptunicola arduis
Quæ puppibus proſcindit vndoſum mare;
Gens æſtuoſo diſſita littore
Lætíſque turgens meſſibus;
Non magis ſepti penetrale portus
Perrumpens ratibus veliuolis, opem
Gratáſque fruges mœnibus inferet,
Quam roſtris queat æreis

Isthmum rumpere Achaicum.
Fatale nomen ergo fastuosis
Scilicet Anglis,
Rupellæque timens, LVDOVICVM *agnosce potentem.*

Antistrophe VIII.

Quæ dementia, quis furor
Gens iuris expers, hostibus protendere
Dextras amicas cogit atrocibus?
Vt plura vestrum scilicet
Spicula in Regem, patriósque fines
Librata immineant: ô scelus! ô pudor!
Ne quos procacis praua licentiæ
Torquet cura, salubrium
Legum fræna coërceant.
Caluinianæ pestis ah nefanda
Vlcera, Regum
Agnosco heu semper sceptris inimica verendis

Epodus VIII.

Regale sceptrum Francicum
Sed conuellere quis queat?
Nam nec insanas metuit procellas;
Nec turbines Cocytios: radicibus
Quippe hæret altis; insitúmque
Heroum superùm manu,
Crebris cum viridi daphnide surculis
Palmæ non fragilis viret;
Frangíque nescit, flectitúrque tantum,

Strophe IX.

Tu vero æmula peruicax
Cœlo placentis Galliæ Britannia,
Vesanientis pone superbiæ.
Tandem ferocem spiritum:
Non dolos, non vim minitantis hostis
HENRICI *soboles magnanimi pauet:*
Nec blandienti deditus otio,
Luxúque Assyrio putris,
Curis torpet inertibus:
Sed bellicosà strenuus iuuentà,
Primus ad arma
Prosilit, aduersas acies atque increpat vltro.

Antistrophe IX.

Quòd si tantus inæstuat
Vestris cruoris ardor in præcordiis;
Piscosi Tamesis margine ab extimo,
Ad fabulosas Orcadas,
Dissonas gentes, gelidæque quotquot
Iuuernæ latebras frondiferas colunt,
Curuo refundat litore Santonum,
Seu mauult Morinùm plagâ,
Dines nauibus Albion.
Vt discat: haud impune, lecta quantum
Gallica pubes
Rege sub inuicto violentis fulminet armis.

Epodus IX.

Aſt Ageſinnis inſula
Prætenta edocuit ſatis
Reia: quam vaſtis Britonum carinis,
Denſas cohortes vndique euomentibus,
Per vim petitam, mox cruentà
Nereus cæde natantem
Vidit; Francigenûm flos equitum ſuis
Certatim ſociis opem
Dum fert per vndas, obuióſque fundit.

Strophe X.

Tum Villarius impotens
Spectans aceruos ciuium occumbentium,
Fortéſque Gallos præcipiti impetu
Deſæuientes: horridis
Mænali in ſiluis alacres, Moloſſi
Vt preſſim exagitant horripilos ſues;
Nec pigra tardant ſtagna, nec aſperis
Luſtra imperuia ſentibus:
Non vis, non animus ferox
Deſunt Britannis, inquit: at ſuperna
Fata repugnant,
Vt video, & noſtris Superi conatibus obſtant.

Antiſtrophe X.

Ex quo Gallia diſſitos
Collegit artus, & Burgundiæ occidit
Stirps æmulatrix, altius in dies

Succreuit, extollens caput:
Gentis at noſtræ penitus reciſa
Spes areſcit enim. Borbonius potens
Quid non minaci perficiet manu,
Fratris dextera Martij
Cui fida obſequitur comes:
Quam purpurati lux ſenatus, acri
Mente coruſcans,
Conſilio regit Armandus, curáque fideli?

Epodus X.

Non pectoris conſtantia,
Non dulce eloquium viro
Suppetit parcè. Sociata virtus,
Rupella, Achillis Neſtoríſque Pergama
Strauit: quid vltra Saxonum carinis
Pugnas freta? pudendum
Quæ debent iterum ludibrium mari;
Regi tu decus inclytum,
Ingens Latino gaudiúmque Patri.

REGIS VICTORIA LEGES OBPRESSAS INSTAVRAT.

MISCEBAT cœcos ex-lex Rupella tumultus,
Abſtulerátque ſuo debita iura ſalo.
Nunc fluit edomitus nullo cum murmure Pontus,
Et Rupella ſilet, Rex vbi victor ouat.
Subdita LVDOICO *quantum Rupella lucrata eſt,*
Cùm ſine Rege fuit, tum ſine lege furit.

NICOLAVS IOVRNEE Tricaſſinus.

RVPELLA SVPLEX.

EN Rupella peto pacem: ne despice victam
Rex Magne, obsequiique fidem: quam perderet hostis
At seruare tuum: & veteris mihi gratia facti
Olim debetur: fatear? Bissena rebellem
Lustra prope exagitant: animísque & viribus acrem
Erroris caput in Gallis, arcémque furoris
Iamdudum fecere, noui qui somnia cultus
Partibus obtendunt, & inanis imagine ritus
Deludunt mentes & Regia iura resoluunt:
Quæque in Francigenas odiis insanit auitis
Gens fera, stemmate se ingenti titulísque, minorem
Nec quicquam indignans, furiis egere Britanni:
Nec reus exempli, Regnóque insuetus, & exlex
Defuit auxiliis, Batauus: non, quæ mala seruat
Tempora Francorum dissensit Iberia fraudi.
Ipsáque dote loci Natura in fœdera nostra
Concedens, insana operum miracula iuuit.
Illa ego; diuitiis ingens orbis sinus, & iam
Santonici Regina maris, iámque æmula Regum,
Hæc de me spolia, has palmas; LODOICE *trophæum*
Pono tibi: faciet te nostra audacia MAGNVM:
Hic decus, hoc tanti pretium non vile laboris.
Quis pugnet superis? quæ propugnacula tectis
Cœlestúmque iras, & ineuitabile telum
Auertant? quid enim? non ipsa coërcita vallo
Sunt Maria? iectáque freta ingemuere Catenas?
Non coniurati disiectas gurgite moles

Vertere, & auxilio classes inferre secundas
Prælia luctantes mouerunt irrita venti?
Non Boreis demum tempestas excita terris
Ostendit bis opem, bis mœstos vana fefellit?
Vidisti, Rex Magne, oculis ea summa voluptas
Hausta tibi est, iterum fugientis terga Britanni;
Dum rutilans, horret ferro, te Principe, littus
Aspicere, & Campos cognatis ossibus albas:
Vidimus & nos heu (fractæ hinc tabescere mentes)
Vidimus, obuersas tacto vix littore puppes
Vela fugæ dare, spes nostras rapientibus Austris.
Nimirum vincit pietas, ausa impia damnant,
Fortunámque, & opes Naturæ æquique laborem.
Sed palma hæc non tota tua est; vici quoque; pacem
Quæ Regno peperi, Maiestatémque Verendam
Obsequio sepsi, & Reges in sceptra repono.

D. DV PONT, MAGNI
CONSILII ADVOCATVS REGIVS.

IVSTO REGI,

QVOD LVDOVICVS OCTAVVS Sancti LVDOVICI Pater, Rupellam etiam ceperit.

EPIGRAMMA.

QVID *tantum Rupe excisâ*, LODOICE, *superbis?*
Tecum, alter laudem hanc, si LODOICVS *habet.*

Claruit ille armis: armis tu major es: æquis
Moribus ille fuit: tu pietate prior.
Maior Auos, Patrémque anteit, ſeriémque Nepotum
Hoc tantum, NATO *quòd minor ille ſuo eſt:*
Tu MAGNO *non Patre minor: Iuſtiſſime Regum*
Quantus eris? NATVM *da,* LODOICE, *parem.*

NICOLAVS LE ROVX.

LVDOVICI XIII.

IVSTI, PII, VICTORIS, PACIFICI, REDVCIS.

CALLIOPE.

QVACVNQVE *Mundi parte, vel Æ*
Sis, Diua; totis excita vocibus,
Pennis per auras explicatis,
Ede tuos celeres volatus.

Regina, doctis, Calliope, modis;
Effer triumphos Borbonij Ducis;
Bellóque ſuſceptos Labores,
Regis in Hæreticos Rebelles.

Heu! quo furoris venerat impia
Gens; inſolenti nata licentiæ;
Quæ mœnibus fidens ſuperbis,
Principis Imperio minatur.

Ergóne

Ergóne Monſtrum face Lemannicâ
Immane paſtum, ſanguinis appetens,
Bacchatur in noſtrum cruorem,
Et vetitos renouat furores?

Non ſic, reſectis pullulat anguibus,
Echidna; cœlum non ita toxicat,
Proles Echidnæ; cui venenant
Spumiuomos aconita rictus.

Nec ſic reſurgit puluere Atlantico
Gigas; nec inſtat fortiùs Herculi,
Tactu Parentis mordicatas
Sæpe ferox renomens arenas.

Terrena Pubes ſtulta, negotium
Ioui faceſſit: num dedit obruta
Sub molibus Matri bibendam
Víperei ſaniem cruoris?

Nullúſne Gallus Iuppiter extitit?
Aut peruetuſtis Celticus Ogmios,
Aris adoratus, nefandam
Haud potuit ſuperare Peſtem?

Valeſiorum Martia concidit
Extincta Proles; ô Cineres pios!
Infame Portentum laborans
Tollere depopulante ferro.

FRANCISCE, *téque, ô* CAROLE, *te ſimul,*
HENRICE, *teſtor; Numina Fortium:*
Inuicta Virtus quos Beatos
Extulit ad Superos triumphis.

HENRĪCE, *magnum* BORBONIDVM *decus,*
A te relictos vincere quid negas?
Negotî, ô! quantum relinquis
Martigenæ Soboli ferendum!

Vides, vt omni Mars furit impetu;
Vt vastat Vrbes puluis aheneus;
Muros vt Ætnæi fragores
Horrisono quatiunt boatu..

En Gallicanis templa Patulcij
Patent cateruis: Hæresis impotens
Mouet lacertos, & tumultus
Refricat, heu! nimium dolendos..

Iniurioso num pede proruat
Stantem columnam Liligeræ Domus?
Æterna ni Diuûm potestas
Imperio statuat perenni.

Quò Perduelles tenditis? effera
Rebellionis quò rabies vocat?
Nunquám-ne sat fusum cruoris?
Sacrilegóque datum furori?

Concussa ahenis mœnia glandibus
Cedunt; rigescunt pectora duriùs
Saxo Rebellantis Cateruæ,
Hæreticóque tument veneno.

Caluiniani toxica gutturis
Hausere; Enyo Gorgoneum caput
Obiecit; artus fascinatos
Hinc Rigor, inde Furor pererrat..

Sic non cicatricum, & ſceleris pudet;
Sic nec feroces pœnitet impiæ
Cædis Laniſtas, dum cruentæ
Viſcera diripiunt Parentis.

Solare tandem, ô Gallia; luridos
Mœrore vultus exue; ſplendidum,
Quem decolorauere cædes,
Rex tibi reſtituit vigorem.

En, vt Rebelles Herculea manu
Premit ſubactos imperij iugo;
Parcítque ſubiectis Benignus,
Deïcit Armipotens ſuperbos.

Quòd luctuoſis obſidionibus
Soluuntur Vrbes; ſcilicet Obſides
Patent Monarchæ LVDOVICO,
Ferre nec obſequium recuſant.

Quòd nil furoris Relligio excitat;
Rebellionis Monſtra feræ iacent;
Erynnis antro iam reſedit,
Et reſides iubet eſſe Gallos.

Sed nec reſident? orbe ſuo procul
Hoſtes requirent: Maſſagetæ fremunt
Et Chriſtiani, Gallicíque
Nominis Imperioſus Hoſtis.

Iam bella ceſſant, Pax redit aurea,
Dulcíque mentes conſociat Fide;
Jam tutus, & liber Sacerdos
Thuricremis operatur aris.

Enſes reponit Miles; agens boues
Ruris Colonus iugera diuidit;
Mercator externos amore
Lucrilego populos reuiſit.

Iam Flore puro Stemmata candicant,
Themis coruſcat murice clarior,
Solem ſuum vultu ſereno
Æthere quòd videant micantem.

Feſſas cohortes Cluſius excipit,
Claudítque ſacro cardine Martios
Deus furores, ciuicóſque
Poſte domat rigido tumultus.

Phœbi nitentes fronde paraſtadas,
Simul virenti Palladia tegit:
Fronti Coronam fronde ſacra
Dat Geminæ geminam Sacerdos.

Fontes amœnis Pegaſei fluunt
Iugis; Apollo concitat entheas
Mentes; refuſo quæ potenti
Numine luxuriant Camœnis.

Noſcant Quantem Secula Principem;
Pacem loquantur Marmora, publicis
Signata Faſtis, nec ſileſcant
BORBONIÆ *Monumenta Famæ.*

I. ISNARD. Prou.

LVDOVICO XIII.
IVSTO, VICTORI,
REBELLIS RVPELLÆ
DOMITORI.

GALLIÆ CHARITES.

TANDEM Supremi Diphthera Numinis,
O IVSTE, Faſtis ſacra perennibus
Inſpecta, Mentem concitauit
Supplicio ſcelerum tremendam.

Flammâ coruſcans vindice dextera
Fulmen parabat iam grauius, Polus,
Quo contremiſcit, Pontus, Æther,
Terráque, Tartaráique Manes.

Dum vidit altâ ſede Dieſpiter,
Rebellionis Santonicum Caput
Auſum per auſus inſolentes,
Et ſolitos properare motus;

Iuire partes, indomito iugum
Collo negare, & ſubdere Principi,
Fluctus Britannos excitare,
In Patriæ placidam quietem;

„Sic ſoluit iras: Ergo ne Bellua
Mouet lacertos, ſemper & impotens,
Motu Gigantæo minatur
Francigenûm imperio ruinam?

„Quò ſæua peſtis? quem parat exitum
Bellis? Olympum ni petit; appetit
Pugnare fatis, legibúſque,
Et patriis dare iura Regnis.

„Non id ferendum; cude potentius,
Vulcane, fulmen; diſpereat meis
Infame Monſtrum prouocatis
Ignibus, & feriente flammâ.

„Moram vltra præceps non patitur malum:
Verùm in ſceleſtos quid meditor faces
Iactare cœleſtes? Auernis
Peſtibus eſt ſuperanda peſtis.

„Erumpat Orci veſtibulo Fames,
Intus calentes tabificâ lue
Afflet medullas, dentis atro
Pectine depopuletur artus.

„Plutonis aulâ prodeat horridis
Flagrans chelydris Tiſiphone; trahat
Agmen Sororum, quæ cruentis
Pectora terrificent flagellis.

„Paſtis Rebelli ſanguine viperis,
Vltrice flammâ corda nocentium
Immanis Alecto perurat,
Concitet in rabiem Megæra.

„Noſtro tuendus Numine, Martiis
Claris tropæis, conſiliis potens,
Inuictus armis, LVDOVICVS,
Obſidione premat Rebelles.

„*Intentet armis terribiles minas:*
Huic Frater adsit Regius agminum
Ductor, timendum, GASTO, *Nomen,*
Proxima BORBONIDVM *Propago.*

„*Hoc, si resurgat Centimanus Gyges,*
Ossámque Olympo tollat in æthera,
Heroë sim tutus, nec optem
Marte alio exsuperare pestem.

„*Sit tutus illo Principe Nauium,*
Pacata cedent æquora Purpuræ;
Illa, pericli nil, iuuante
Pallade; nil Themide hac timendum.

„*Opponat arces arcibus, exstruat*
Castella, firmis turribus ambiat,
Cingat coronâ, castra firmet,
Trux agat in statione miles.

„*Quâ per recuruos Oceani sinus*
Fraterna vastis æquora fluctibus
Fauces subintrant, moliatur
Per freta, per scopulósque Molem.

„*Molem stupendi ponderis, aggere*
Terram sub imo gurgite quæ premat;
Quà maior, eluctetur vndas,
Quà minor, haud violanda flammis.

„*Celsum profundis surgat opus vadis,*
Insultet vndis roboreum nemus,
Syluescat æquor, frangat æstus
Iactus obex, resluente Ponto.

„Iactis in altum rupibus obruat
Rupem nefandam; rupibus obstruat
Immane Rupellæ ferocis
Guttur, & æquoreos meatus.

„Frendens in antro dentibus, & suo
Pasta cruore, indagine Bellua
Tellure, Neptunóque capta,
In laqueos ruet, aut sagenas.

„Captiua collum supplicio dabit;
Tandem & superbas desinet effera
Iactare ceruices, datura
Os rigidis patiens lupatis.

„Tunc, tunc seueras Rex pius exigat
Pœnas, inultum ne genus impium
Olim insoleſcat, neu resumptis
Viribus imperium retractet.

„Vix maior ipso puluere diruta,
Ter si resurgat, ter pereat meis
Deleta flammis Vrbs, minórque
Ipsa suis iaceat ruinis.

Sic fata dixit; protinus æthere
Descendit ales Nuncius, aureâ
Virga Tonantis dicta Regis,
Iußáque, consiliúmque defert.

Paret supremis Rex monitis, iubet
Coire turmas; adsit vt ocyùs
Castris, ab Augusto Senatu
Parisiis properanter exit.

At hunc moratur. proh dolor! inuida,
Anne & rebellis, próque Rebellibus
Num ſtare, nec non viſa febris
Partibus Hæreticis fauere?

Periclitatur dum ſacra Principis
Salus, dolenti pectore Gallia,
Mœrore luget conſepulta,
Mox trepidis trepidat ſub armis.

Vicere morbum ſed medicæ manus;
Deuicit Hoſtem Victor, & Inſulam.
Arcémque ſeruauit cruentis
Vltus Auos LVDOVICVS *armis.*

Obſeſſa menſes quinque ter arctiùs
Rupellâ, dirâ preſſa fame, ſalo,
Solóque debellata Iuſto
Subdita colla dedit Monarchæ.

Nil iuuit Anglus ſuppetias ferens,
Nil fulminantûm pompa Triremium,
Inane debacchata ſæuis
Ignibus, ariſoníſque bombis.

Pectus Virorum, murus aheneus,
Immota Claſſis, firmior anchoris
Submouit, inconcuſſa Moles
Terruit, & repulit fugaces.

Quos apparatus duxerat oppidò
Magnos reduxit; nec ſatis integer
Reuexit, Vrbi quæ vehebat,
Nec potuit dare commeatum.

Victus, fugatus, territus addidit
Palmas triumpho Principis, vt simul
Ouationem Perduelles,
Hostis & ipse daret Triumphum.

Ne, France, iactes incolumem Statum,
Victos Rebelles, dedita Mœnia,
Hostésque deuictos, potenti
Ista Dei referenda dextræ.

Huic vota soluas debita; Principi,
Felicitatis quidquid habes, pio
Debes quòd acceptum, rependas
Munera, Pieriósque cantus.

Adeste votis vos, Charites, meis;
Adeste, sacris Orchomeni iugis,
Castos vbi artus rore puro
Fontis Acidalij lauatis.

Vos, ecce, Numen maius Apolline
Exire sedes Aonias iubet,
Gallísque permutare Graios,
Et veteres Eteoclis aras.

Vos pura amatis lilia, Virgines;
Vos Liliorum Regna vocant, sui
Dum facta Regis, ciuicásque
Francigenæ celebrant coronas.

Aptate flores virgineâ manu,
Quo, Templa Victor, fornice; quo Fores:
Reuisit Augustas, & Vrbem
Martis equis properante curru.

Ornate pompam muneribus; Ducem,
Regémque iuſtum tollite honoribus;
Qucis Imperatores beatis,
Et colitis ſimulacra Diuûm.

Adſunt vocatæ, ſiue Caducifer,
Seu fama velox, dum vaga vocibus
Perluſtrat Orbem; ſeu vocauit
Grande tuum, ô LODOICE, *Nomen.*

Terris tremendos numine Martio
Vultus adorant; iámque tuos pedes
Exoſculatæ, Galliarum,
Has referunt tibi voce Grates.

O Iuſte, Regum maxime, quòd Pie
Vincis Rebelles, Marte quòd atteris
Hoſtéſque, ſeruatóſque ciues
Legibus Imperij tueris.

Cultum quòd Aris, Imperio decus,
Templis honorem reſtituis; Cruci,
Chriſtóque diuinos triumphos,
Erigis, & Fidei tropæa.

Te Chriſtianæ Præſidium Rei,
Te Galliarum, Te Patriæ Patrem,
Te Gratiarum dulce Numen,
Te poſitis veneramur aris.

Idem.

RVPELLANAE DIRAE, ANTIDIRÆ.

ERGÓNE perſtat adhuc nec dudum eſt plena cruoris
Hydra ferox? veterúmque tibi ſtat Lerna malorum,
O Princeps: cui monſtra diu Iunonia, Fratres,
Subdita Terrigenæ Titania colla dediſſent.
Quòd tamen Ætnæo circum obſita carcere tuta eſt,
Lernæo Stygiam exhalat pædore mephitim,
Nec niſi quos ſpirat diros bibit ore furores.
Supremi tandem id ſupereſt, vt ſentiat iras
Numinis, & Diris deuota Rebellibus, atrox
Ipſa ſibi paret exitium; & quia parcere Regem
Ipſa ſuum nolit, ſua ſit ſibi Parca, trahántque
Inuitæ peſtes, inuitáque fata ruinam.
Infandas protende faces, furialis Erinny;
Ecce vocat Rupella tuas in mœnia flammas;
Queis ſuprema ſacri conflet mala funera belli;
Quáſque ſuo Regi præcludit perfida portas,
Has peritura tuis aperit malè credita monſtris.
Concute vipereos in noxia pectora crines,
Cadmæis compone odiis incendia, diſcors
Plebs agat in Proceres, ſtent arma rebellibus armis,
Præcipitéſque ruant in mutua vulnera Ciues.
Ni facias, Scythicis properat procul excita campis
Vecta ſuis canibus, rabidóque horrenda latratu

Eſuries pro ventre caui cui ventris imago eſt.
Non illam, quâ claſſe minax, iactantior Anglus
Exultat, tantúmque animos ſpe tollit inani;
Non illam Oceanus dum vaſtior æſtuat vndis;
Non ſtagna, aut Arces, non Propugnacula, Foſſæ,
Loricæve, altis arcebunt mœnibus: inſtat,
Iam fremit ad portas, venturáque deſuper, Vrbi
Imminet; impatiens dudum obſidionis, hiantes
Atque auido ſiccas oſtentat gutture fauces.
Iámque Eriſichthonius per inania viſcera ſerpit
Spiritus, afflatúque ſuo corrupta perurit
Corpora, & exhauſtis bacchatur in oſſa medullis
Vt quos non Pietas, non iuſti Principis arma;
Quos Patria non vicit Amor, nec Jura, Fidéſque
Hos, Diræ peſtes, Orcíque immania monſtra,
Peſtem hanc, hoc ſuperent non exſuperabile monſtrum;
Priſcáque ſuccedant monſtrorum neſcia Gallis
Secula; diſpereántque ſuis lacerata colubris,
Hæretico portenta diu malè paſta veneno.
Aſt, ô Dij! melius: nec tanta Rebellio menti eſt,
Nec rabies veſana animo ſedet, impia vt optent
Funera, quos Pietas Regis, Regúmque Potentis
Incolumes optat, tantùm & Clementia victos.
Ergo agite, ô Ciues, Paci iam pandite portas;
Exeat hinc Bellum, cedátque Rebellio iuſtis
Principis imperiis, vobis quod fata minantur
Exitium non vlla Maris, Terræve poteſtas,
Non Stygis, aut quicunque mouet ferus arma Tyrannus,
Auertat: ſatis anne Deûm vindicta morata eſt?
Laſáque Maieſtas iam dudum diſtulit iras?

Qui classem sine classe fugat; qui millia fundit
Agmina centenis, fractos qui proterit Hostes
Fœdifragos; certant, cui Tellus, Pontus, & Aër,
Sideráque irradiant feliciùs Æthere toto;
Qui vada Neptuno iectis compescit habenis,
Aggeribus structas qui tollit ab æquore moles,
Atque aperit fossas celso de colle profundas;
Qui nec dura fugit dubij discrimina Martis,
Non sæuas hyemes, non horrida castra pruinis
Horret, nec rabidos Cane parturiente calores;
Cui pia Francigenûm Mauortia pectora pugnant,
Pectora non vllis vnquam expugnanda periclis;
Cui sua consilij sapiens Richeleïa Princeps
Pallas adest, totúmque agitat Mens numine Regnum.
O vos felices! Regísque Deíque triumphis,
Quos tandem hæc felix reddet Victoria victos;
Quæque manus vincet, victis dabit illa salutem.
Iam vicit, victísque dedit manus illa salutem:
Iam dedit, & quos vincet adhuc, dabit illa salutem.

Idem.

RVPELLA

QVOD PRIVETVR MVRIS QVERITVR; QVOD A CHRISTIANISSIMO REGE, se consolatur.

ELEGIA.

HEI mihi, quòd dubiæ non sola obnoxia sorti
Tempora, habéntque suas saxa vel ipsa vices!
Fundamenta solo radicibus acta profundis
Credideram nullo turbine posse quati.
Credideram cladem, & lapsus nescire caducos
Ætherio muri culmina iuncta polo.
Huc ades, huc, inquam, obsidium quicunque minaris;
Parua mora est, dices. Arx nequit ista capi.
Terra, aggérque fauent cinctu septemplice, circum
Ducta cauernoso limite fossa fauet.
Me sibi connubio iunxit Neptunus, & vndas
Dotales gremio prodigus egit opes.
Nunc solas inter vix sum noscenda ruinas,
Ah misera ipsa meo penè sepulta sinu.
En muri, speculæque iacent, turrésque, minæque,
Portarum & centum claustra superba seris.
Vósque, meæ vires, & plumbum, & puluis, & ignes
Et caua missilibus machina fœta globis.

Aut nullos, aut deinde alios abiistis in vsus:
Cessatum è solitis bella ciere locis.
Hæc loca vis ignis terræ abdita succutit; inde
Mole ruunt, casûs præcipitántque suos.
Adiuuat hinc operis solidi præstantia, & artis,
Atque hinc materies, calce rigente tenax.
Partibus alternis saltem si laberer, esset
Solamen tanti lenta ruina mali.
Integra eunt pessum primo semel impete saxa:
Compages nullo fragmine tota cadit.
Hic stragem insuetam miserata admurmurat aura,
Ingemit & nostris terra grauata malis.
Ipsa ego dura silex flector, naturáque planctus
Imperat, & forti victa dolore fleo.
Non ita progenie philomela orbata tenellâ,
Turtur & amisso compare mœsta gemit.
Non ita succisis reptans Iouis armiger alis,
Quum patrios frustra nititur ire polos.
At non excidium dederat sperare futurum
Hæreticæ quidquid gentis vbique fuit.
Et vos infidi, bellorum classica, Mystæ,
Hæccine promissæ pars ditionis erat?
Debueram ante alias Vrbs vrbes stare, nouíque
Debueram illæsum corporis esse caput.
Sed qualis cedrus, quæ vertice surgit odoro,
Mox olidâ inficitur semicremata face,
Aut truncus caudas inhoneſto vulnere pauo,
Accipio è fastu damna pudenda meo.
O vtinam vna priùs murus tutela fuisset,
Non issémque meum tot prope valla latus!

Tuta

Tuta forem, ponto si nunquam proxima: tuta,
Si Brito damnosam ferre negasset opem.
Heu nimium vires infregit robur, & agris
Corporibus medicæ plus nocuere manus.
Et posthac vetus omnis honos vilescet, & urbi
Si nomen faciunt mœnia, pagus ero.
Pagus ero, vel portus iners, & inutilis armis,
Aut statio fessæ non bene fida rati.
Seu terrâ exsurgat, siue æquore prædo, patebunt
Incustoditi, præda parata, lares.
Nec me prætentis dabitur defendere claustris,
Nec fragili errantes sistere sepe feras.
Adde quòd impresso per rudera Cultor aratro
Ibit, &, hîc Rupis mœnia, dicet, erant.
Ipse quoque insultans nascenti in gramine Pastor
Pastum aget immundas per mea compita oues.
Quippe memor damni, & vindex, cùm prædia noster
Miles, & agrestes fértque, rapítque casas.
Ah mihi quàm tristi veniunt, quàm dispare fato
Omnia, & exemplo sors mea pæne caret!
Olim ad Cadmæas modulante Amphione Thebas
Indigesta procul saxa coisse ferunt.
Te mandante, loco muri, LODOICE, fatiscunt,
Et cadit auritus sub tua iussa lapis.
Quid quòd ab inspecto clypeatæ vmbone Mineruæ
Durati in silices obriguere viri?
En mea lentescunt aduerso mœnia Rege,
Mollis vt opposito cera calore fluit.
Sic gemino frustra ponto defensa Corinthus
Arsit inextinctis, ære liquente, rogis.

Tale Syracuſiæ vulnus Dux intulit arci,
Quum tecta Auſonio milite vaſta daret.
Haud alias quondam turrita Numantia pœnas,
Haud alias tellus Afra ſubacta luit.
At bene ſucceſſit, digno quod vincor ab hoſte.
Eſt aptante aliquid Rege ſubire iugum.
Dedecus hoc belli tanto victore leuabo.
Eſt, LODOICE, decus te capiente capi.
Nec queror ô Superi! caderem, ſi fata ferebant;
Huic tanti fuerit ſuccubuiſſe Duci.
Si pereo, periiſſe iuuat cœleſtibus armis:
Mortales in me nil potuere manus.
Damna placent. Quanquam ô! Sed vanis parco querelis,
Parco meos contra bella mouere Deos.
Dura quidem patimur, fateor, ſed debita dudum
Supplicia, infractam digna piare fidem.
Vos culpæ ſocij, vos oppida conſcia, lætor
Perfidiam exemplo dedidiciſſe meo.
Nec ciues lugete mei, ſed dicite. Rupes
Ambitioſa Iouis fulmine tacta ruit.

FRANCISCVS VAVASSEVR
SOC. IESV.

VIRTVTI REGIS INVICTISSIMI TROPHAEA NANCINA.

VIX *jeras*, REX MAGNE, *redis*, *& qualis ab omni*
Marte, redis victor, si quis te in bella coëgit,
Victor & ipse tui; quod quis non prædicat hostu,
Quámque habet à leni felix Victore salutem?
Et neget! an non hunc rerum Natura refellet,
Quæ tibi se famulam iustos dedit vsque sub actus?
Sic semper redeas! imò ne iam sit eundum!
Et, quam das, quisquis modò se non inuidus odit,
Hostíque & victo tranquilla in pace quietem,
Ipsa quoque emeritæ pretium virtutis, & vsum,
Et fructum, secura sui victoria carpat.
Hosti sit licet illa bono, sociísque saluti,
Imò sit sociísque bono, ac vtrisque saluti;
Non tibi se tandem, non te tibi denique, VICTOR,
Asseret, & Ciui, cui sic auelleris ægro?
Dum te, spes & opes Gentis, te lumen, amórque,
Sæpius, ô, expectat amans, quàm spectat amantem!
Quamquam oculis ereptum animi gerit vsque medulla.
Sed queis magnus amor flammas sub pectore versat,
Ista putant minimi diuortia temporis, annum;
Et quibus in vigilem nox se æquat longa dolorem,
Lenta nimis redeunt optatæ munera lucis;
Illa piis populis lux & medicina redito,

Illa, pio generi, Tutor, Cuſtóſque, Parénſque.
Nam quò victa tibi moles immenſa laborum,
Et quot bellorum ſpecies, tot clara triumphis
Gloria, de qua nil legati munia libant,
Mandataque vices? (etenim præes ipſe geriſque,
Ipſe operis primùm multò pars maxima, belli
Mox velut imperij, pars maxima deinde futurus,
Diſtribuis partes, indictas exigis idem,
Nec iuuat è tabula pictum ſpectaſſe laborem,
Quin vrges præſens quem præformaueris ante)
Ni, quando has quæſita Tuis pax alma per artes,
Et dedit euentus auctor Deus vſque ſecundos,
Arbiter immota iam maieſtate tueris?
Nam quæ in te deinceps armet fiducia quenquam?
Tu modò LOTHARIÆ *ditionis Dux bone, Regi,*
Mitis Patroni toties iam Nexe, Cliénſque,
Deditione magis quàm ſeditione beatus.
Cui breuiùs peccaſſe, fuit ſapuiſſe, ſecundis
Conſiliis, vt ſit, quàm primis tutior auſis;
Gaude ſorte tua, tanti noua laurea Regis,
Et ter ſeruatus, ſerua quam ſponte dicatam
Debueras præſtare fidem, vicinus amico,
Viciníque colens, quem nemo impune laceſſat,
Cum fructu, vel qui ante fuit colat hoſtis, amétque.
Longinquas quid opes, & quæ malè ſeipſa tuentur,
(Sic intenta inhiant in non ſua) Regna iuuabit
Reſpicere? à magna tutum eſt abſceſſe ruina,
Ne certâ inuoluat ſeque & ſibi proxima clade,
Cùm verſis vrget fatis centeſimus annus,
Et nunquam cupidæ Regnum durabile prædæ,

Cui casum parat à summo iustissimus Vltor.
Ergo tibi retinenda fide, obsequiisque tuenda,
Obsequio quæ parta quies, his artibus audax,
Aggredere, his vnis modò sunt sua præmia; Regem,
Et te certa fides, non spes incerta gubernet.
An sentis, quæ te fecit fiducia fortem,
Quàm sit lapsa breui; quàm te nil iuuerit? illam
Regis nempe manus meliùs tibi, téque, tuósque,
Quàm tibi, tu serues, quámque is quem reris amicum:
Qui si reddiderit, quæ vix aliena retentat,
Quonam illi imperium? quod Franci portio sceptri
Tam iusta est, quàm quod cuiuis patriúmque suúmque est.
Aut vtriusque adeò quò pars vel maxima cedet
Hesperiæ, atque alio quæ desolauit in orbe,
Vt fera diluuies agros, incendia siluas?
Illi tu si quid debes sociúsve cliénsve,
Hoc Regi priùs is debet, si iura parentum
Iustus, si quisquam est, tanto pòst vendicet hæres;
Tum quicquid Rhenus, quicquid mare claudit vtrumque,
Quod Gallis adaperta Alpes, quod celsa Pyrene,
Belga ferox, pugnax Aquitanus, Celtáque fortis,
Gens & lingua triplex, vnius GALLIA *iuris,*
Nominis, imperij. Sed enim quo sanctior vlla
Non fuit in terris Regum Gens, esse Patroni
Quam Domini, ambactos malunt feciſſe Clientes;
Atque è Solduriis socios dixisse, Tetrarchas,
Atque Duces, famula quos conditione ligaret
Officium, & traheret regina potentia nexos,
Atque Suos Homines: his munia tanta remittunt
Vna stirpe sati bis sex iam secula Reges,

Vnáque deuotæ Fidei sibi iura reseruant;
Quâ stanti cõstabit honos, titulíque decúsque
Præcipuum, quæque hac fundata est lege potestas.
Hanc fidus retines? & dux, & regulus esto,
Et gnatus succede patri, dum rite clientum
Sacra colas, illis quẽis te donauimus agris,
Vno dante minor, meriti non immemor vnquam;
Namque recens hoc ius, quamuis longæua vetustas
Asserit, atque nouus rediuiuum suscitat heres.
Sic Franci, terris regnantum gloria, Reges,
Queis regale bonum, majestatísque benignæ
Fructus erat Reges facere, atque reponere Reges,
Déque suo largis alieno parcere, bello
Reddere parta pio, si fas æquúmque suasset,
Aut dare perpetuæ sanctos pietatis in vsus.
Nam magni ditésque suo, quæcunque dedissent
Bis retinere rati, regnum benefacta vocabant,
Tam prompti donasse (nec vna hoc Regna loquuntur)
Quàm qui Francorum Reges sunt munere Regum,
Erẽpta heredi cupidè retinéntque fouéntque.
Nec meritum oggerimus, dum ne qua iniuria pensęt,
Nec noceat feciſſe benè, & releuasse iacentes.
Hanc mentem, hos animos, verorum hæc pectora Regũ,
Vt certat laudi generis superaddere culmen,
LAODICI *virtus quanto cumulauit honore?*
Hunc colit officio, studiísque perennibus vnum,
Sic meritum, sic vicinus, Dúxque accola Regem,
Qui nunquam esse velit, quàm iure, potentior armis.
Scilicet is fidum minuet! prinabit amicum!
Cuius, te infensum victrix reuerentia seruat,

Et tegit incolumem metuendi nominis vmbra!
Quid toties euictæ Alpes, hostísque, luésque,
Atque alios quæ tardat hiems, huic seruiit vni?
Anne sua vt repetat, quæ quàm repetisse probandum,
Tam procliue fuit? sed quæ virtutis honestas,
Iustitiæque decus, FELIX ET FORTIS AMICIS,
Quos sine lege, aliena petens Iniuria vexat,
Nec speciem obtendit, sed aperto nititur ausu?
Hic regalis honos, hæc omni gloria maior
Imperio, hæc cunctos hominum super vna triumphos;
Sidereo tandem meritum petit æthera curru,
Postquàm naturam mortalis munere vitæ
Impleuit, meritis totum immortalibus orbem.
Huic vni benè te, & rerum quæ summa tuarum,
Crede volens, fidos omnes hæc ara tuetur,
Nec quemquam spolians, quemuis spoliare vetabit.
Hac spe vince metus, nam quid metuásve receptus,
Aut speres non fidus? erit cùm denique compos,
Illâ quam fugeres, dicas te sorte beatum,
Et vitæ anteferas quæ pristina cesserit, illam
Quæ tibi colloquium felix indulserit, horam;
Cùm tibi veracis promens oracula sensus;
Illa Dei interpres, totius conscia Regis
Mens bona REGICOLÆ *(naturæ, hoc omine nomen*
Permutet, malitque fide, quàm gente vocari,
Si tamen est aliud quàm REGIS *cultor amánsque*
RICHELEVS, *natúsve alios quàm* REGIS *in vsus!)*
Quæ natum pater admoneat, prudénsque bonúsque,
Quæ fratrem germanus, & is consultior vsu,
Iam melius docilem sapiens infudit in aurem,

Et duxit quò te officij lex alta vocabat,
Quóque FIDES, *quò cura tui, quò cura tuorum*
Dúxque Duci eſt, Regíſque bonis te vultibus offert,
Quos numquam neget eſſe ſuos CLEMENTIA *vultus;*
Eripuitque oculis nubem ceu Pallas Vlyſſi,
Sincerúmque iubar pulſis tibi reddidit vmbris;
Spéque monet rutâ dubium mutaſſe timorem.
Et facis, & facto, lux tandem optanda refulſit,
Nam cœli & rerum facies eſt vna tuarum.
Mane, vides, fœdum nebulis, & inhorruit imbri;
De medio lux clara die eſt, vbi Regia portas
Agmina iam ſubeunt, & purus craſtina veſper
Apparat intranti (feſta hæc age) tempora Regi.
Macte animo, & quos ſol, quos dat Rex, indue vultus,
Cui ſol; cui dat Rex de tempeſtate ſerenum.

IOANNES TARINVS.

PRO-

PROSOPOPOEA
VRBIS NANCEIÆ,
Anno 1633. menſe Sept.

ILLA ego quam vaſtis tot Propugnacula foſſis,
Altáque ſublimi circumdant Mœnia Vallo,
Humanos Vrbs arte potens ſpreuiſſe furores,
Indefenſa meis, aliósque habitura Colonos
Dedor, & inſolitis patuiſſe Cohortibus horrens,
Dum citus attonitam percurrit & occupat Hoſtis,
Spectatrix & præda ſui ſum facta Triumphi.
Hoc voluit geminos qui Marte laceſſere Reges
Auſus, & inualido fruſtra ſubnixus Ibero
Ter repetita tribus violauit fœdera pactis,
Hoc habet; Ah quid habet cui vix ſua nomina reſtant,
Quémque piget dixiſſe Ducem? Cui terror vbique,
Hoſte foris, Dominóque domi; Meruitque vocari
Exul in Externis, Patriíſque in ſedibus Hoſpes,
Et facta vt fracta Pacis Reus vndique, Caſtris
Obſes, & inde leuis, ſed inani, Transfuga, niſu,
Strictior aſtuti ſpecie Captiuus honoris.
Imbelles Germana Aquilæ, Hiſpaníque Leones,
Turba vel immiti prope tam miſeranda Sueco,
Hoc opus, hic veſter pudor eſt; Tam clara ſecutus
Signa luit proprio tales pro crimine pœnas,
Sed veſtrum diſcrimen erit; Quid Gallia ceſſat
Finibus Alſatiæ Rhenóque admota propinquo?

Quæ non Regna simul, quas non huic subiugat Vrbes,
Solis capta minis, solóque subacta paratu,
Quot labor annorum totidem vix Cura diebus,
Vrbs modò visa feri potiùs Domus inuia Martis,
Quàm Ducis? O quanto quatiet semel icta fragore
Cùm rutilante fremens totum se se exseret irâ,
Exiguo fulsit quod nunc mihi fulgure fulmen,
Intactisque silens concussit pectora muris!
O quale, & quali mirum mortalibus arte!
Non strepitu terret populos, non ignibus vrit;
Vix micat, & solo percellit lumine mentes;
Et ferit, & nullâ tamen est ferale ruinâ;
Et silet, & toto nullum plus orbe remugit.
Audiit hoc quocunque iacet longinqua sub axe
Ora, nec igniuomo magis est tremefacta Vesæuo
Parthenope, & pauido respexit Iberia vultu
Insubres, proprium terris confessa Tonantem.
Ecquid enim veterum si iure armatus Auorum,
Atque ibi iam partâ decoratus tempora lauro,
Rursùs in Eridani vibret noua fulmina ripas?
Sentiat illa Duci quisquis tam iusta mereri
Suasit, & iste Ducem tam Iustus vindicet hostis,
Hic satis est vltor, Sed si sua Dextera cesset,
Et tanti sit Pacis amor, Non fulmina desint,
Vltricésque aliunde manus, queis caussa ruinæ
Prima meæ grauiore ruat Domus Austria casu.
Exsurgant Populi simul in sua Regna rebelles,
Nullâque sit Dominis Prouincia fida superbis;
Excutiat veteres Germania iuncta Tyrannos,
Atque Aquilas alio Duplices locet æmula nido;

Hungarus externo renuat de sanguine Reges,
Et sua Cæsareis det sceptra Bohemia Seruis;
Ac nisi iure suam repetat Gens gallica Gentem
Nassouio Batauis iungatur Belgica ferro.
Hæc mihi vota, hæ spes, & erunt solatia victæ,
Et placitura magis vel inermi tela manebunt
In falsos, melior dum detinet Hostis, Amicos
Sed quid vane Dolor quereris, si longa senectus
Debilitat, viuóque fugant si Lilia flore,
Transrhenana suis minitantes fulmina Regnis
Cæsaris implumes Aquilas; si corpore trunco
Exsanguésque iacent, & nullo robore fulti,
Dejectique animis, & solâ fronte Leones,
Quos petis, Hispani: Diras omitte, nec vltrà
Auctores his quære malis; Hic Principis error:
Frustrà continuis incessens fata querelis,
Mendaces socios, fallacia fœdera plangit;
Ipse sui rèus est Casus, sortísque siniſtræ;
Ipse suas, hostis sibi pessimus, imputèt Artes.
Coniugis auspiciis solio sublimis auito,
Securúsque diu Domini sub iure potentis,
Heu nimis oblitus fidei, rerúmque, suíque,
Infœlix coluit Miseros, labénsque Cadentes;
Austriacúsque Cliens innixus arundine fractâ,
Sceptra procul vano victricia Marte lacessens
Gentibus Arctôis tumidum se se intulit hostem,
Et propiora pari sibi concíit arma furore;
Votáque mox leuibus vectus per inania ventis,
Illicitisque audax, Patriæ sub imagine Diuæ
Ixionis vacuas amplexus in aëre nubes,

TRIVMPHATA LOTARINGIA, IMPERANTE LVDOVICO.

AVDACES iterùm curæ, verſutáque rerum
Conſilia irarum cœco molimine dirum
Tentauere nefas: lapidum congeſta ſuperbos
Pondera circumagunt animos: oblita malorum
Mens Ducis heſternos LODOICI ſuſcitat ignes.
Imminet heù quantus miſero dolor! irrita tentet
Auxilia, & faſtus nequicquam imploret Iberos
Ne detrectatæ fidei periuria rurſum
Torqueat offenſi iuſta indignatio Regis.
Illum fata Deûm ferient, cui numine læſo
Quæritur effugium pœnarum, ac molibus altis
Præſidium infandi ſceleris, nec aheneus olli
Murus erit, ni cana fides, ni conſcius hiſcat
Corde dolor, ni ſpes animo ſoluantur inanes.
Rex nondum intonuit, ſed ſolo numinis ictu,
Vt mentes ita ſaxa tremunt, populique labantis
Fit fragor, actutùm murósque arcéſque moueri
Vidimus, & totam trepidare in ſedibus vrbem
Suſtineat ſed enim quî tanti principis iras,
Cuius ſola ferum præſentia ludit in hoſtem?

Iam ſolet extemplò, ſuperoſque imitatus inermes
Obtutu primo gentes frænare ſuperbas,
Dúmque domi ſeu bella foris molitur, vbique
Congerere ignotas olim ſine ſanguine lauros.
Iam ſatis humano pugnatum eſt Marte, tumentem
Seu quatit Italiam, & reuolutas Alpibus vrbes,
Seu Belgam Auſtriacum, terráve marive Britannos,
Seu Rhenum, fremitúſque tuos Germania diſcors
Cantábricis operoſa dolis: iam numinis æſtro
Vt videt, vt vincit, longâ obſidione faceſſant,
Ignauáque gemant alij trieteride Reges,
Hos mora nulla decet, quibus eſt cœleſtis origo
Tu proles, LODOICE, Deûm; tibi nominis auctor,
Sanguinis ipſe ſimul, proauo pietate ſecundum
Te vicina ferent mox ſæcula: vince rebelles
Intereà, & magnis ſucceſſibus vtere victor.
Res ſtabunt Regno incolumes, dum miſſus ab alto
RICHELIVS conſors operum, tractabile ſolis
Numinibus Regum miro libramine fulmen
Soluet, inaudito præeuntibus ordine ſæclis;
Ac tecum imperij dubios procumbet in axes
Intrepidus: Iouis arma ſui regit ardua cœlo,
Ægidáque horrificam nullo renuente Deorum
Sola tenet Pallas, quam Iuppiter æthere ſummo
Fulmina torquentem videt inconſultus, & iras
Cælicolum: non ſic; ſed tu verſare labores
Atque tuæ, LODOICE, ſoles molimina rerum
RICHELIIque ſimul miracula reddere dextræ:
Fors ſuperis innata potens, moderante Mineruâ
Fortior, Ætnæique ruunt quo fulmine fratres,

Hac ſine inexpleto quaterentur ſegniùs ictu.
Perge iterum, promiſſa tuis natalibus exple,
Donec ab Eois vlulata Oracula faſtis
Extinctum Lunare iubar, Solyménque receptam
Conclament, ac ſemper amans Tithonia flores
Francica Memnoniis attollat Lilia ſceptris:
Nanceium intereà violati fœderis vlcus
Horreat, exemplum rebus ſupereſſe futuris
Fas & iura volunt; miracula viuere regum,
Auditi ſceleris pœnam ſpectare nepotes,
Fulmen erit victis: toties renouata doloris
Materies, erit & toties repetita triumphi
Gloria, & aterno conſurgens ordine laurus.

A. B. C.

NANCEII FATVM.

EPIGRAMMA.

DEVCALIONE viri lapides mittente reſurgunt,
Iactatur Pirrhæ fœmina multa manu:
Ambo orbem peragrant, feſſis Lotaringica tandem
Terra patet, ſomno captus vterque iacet:
Surgens Pyrrha prior totum eſt operata laborem,
Non expectato coniugis auxilio:
Vrbs ideò caret iſta viris, LODOICVS *at illi*
Fulmina dat belli millia mult[a] virûm

Idem.

AD INVICTISSIMVM REGEM EPIGRAMMA.

AETERNAS LODOICE *parant dum fata coronas,*
RICHELIVSque animos ad noua sceptra vocat.
Dum franas pelagus, pelagóque ferocior ipso
Rupella insueto dat sua colla iugo,
Dum terres fugientem Aquilam, Colubróque latente
Libera victricem Mantua sensit opem,
Dum tua Nancei timuerunt fulgura turres,
Tótque ducum sudor Regia palma fuit,
Audiit & tantis visa est stupefacta triumphis,
Roma parens fidei vix habuisse fidem,
Illud Germanus, miratur & illud Iberus,
Vixque oculis Anglus credidit ipse suis.
Non nobis mirum est quod Rex mirabilis orbi,
Sospite RICHELIO *non nisi mira gerat.*
Sed mirum, quæ tot miracula gessit in orbe,
Cur non ipsum orbem dextera tanta geris?
Non impar Rex est oneri, nec deficit Atlas,
Quique Atlanta dedit mox dabit ille globum.

DEMARBEVF.

DE

DE NANCEII DEDITIONE Carmen Triumphale,

AD LVDOVICVM XIII. FRANCIÆ ET NAVARRÆ REGEM INVICTISSIMVM.

MVSA, *Heliconis honor, lauros incide recentes,*
Et carmen meditare nouum. Saturnia regna
Iam redeunt, victo pacem Rex hoste reducit
Gallorum in fines. ô quantum distat ab illo,
Qui nuper spirántsque minas & turbidus ira
Ibat, & horrenda torquebat fulmina dextra!
Quale decus sacri capitis, frontísque serenæ!
Quàm lætos oculis radiantibus efflat honores!
Talis erat cæso quondam Pythone reuisens
Delon Apollo suam; talis Semeleïus Heros,
Signa triumphatis referens victricia ab Indis.
Erigone, Cœlo qui formosissimus ignis
Regnas, Iustitiæ sidus, non clarior vsquam
Illuxit tua fax, quàm cùm succedere captis
Vi dsti Regem muris, portásque subire.

Tam ſubito Mars obſtupuit patuiſſe ſuperba
Mœnia, maiorémque Deum in certamina ferri
Infremuit, meliúſque ſuas molirier artes.
Quidquid Moſam inter campi iacet & vada Rheni,
Auſtraſiam dixere prius, ſed limite Franci
Partito, titulum populo impoſuere recentem,
Ac Regis Lotharj dixere à nomine terram.
Hic qua Murta fluit, Cœlo gratiſſimus amnis,
Ante ſuas quàm portet aquas, ſociétque Moſellæ,
Vrbs fundata iacet, Lotharenæ Regia gentis,
Nanceium Naſiúmve vocant; quam cingere caſtris,
Militéque innumero quondam dux Æduus orſus
Concidit Heluetiis confoſſus pectora telis,
Præductæ muris foſſæ ſub Tartara hiatu
Immani tendunt, agger tegit vndique denſus
Mœnia, & aëriæ ſurgunt in nubila turres.
Vrbs metuenda, potens armis, & milite multo,
Præſidium gentis; quam nullis ictibus vnquam
Machina, quam nullæ valeant euertere vires.
Taliter inſtructam aggredit or LODOICVS, *& omnes*
Veſtigans oculis aditus rapit agmina contra.
Qualis vbi Leo Getulis generoſus in aruis
Ardua iactantem conſpexit cornua Taurum,
Aduolat, atque aciem voluens immania luſtrat
Membra procul, cupidos poſſit quà figere dentes,
Mergere quà vaſtis exertos artubus vngues.
Sic vbi Rex oculis totam vigilantibus vrbem
Circumſpexit, agit turmas, & ducere vallum
Imperat, ingenti cingens munimina gyro.
Ipſe manus operi quin admouet, ipſe ligones

Verſat, & exemplo turmas incendere gaudet.
RICHELIVS, cum quo curas partitur, & acer
Braſſacius comites ibant, par nobile magnis
Conſilijs, animæ ingentes, fiducia ſceptri.
Forcius & meritis clarus fulgente premebat
Caniciem galea; procerum manus inclita bello
Signa ſequebatur, Gallûmque exercitus ingens.
Vix iam præductæ vallabant mœnia foſſæ,
Obſeſſis & erat ſpes intercluſa ſalutis.
Cum Dryadum chorus inſignis, qui plurimus errat
Per nemora & ſaltus Lotharenos, Regia ſupplex
Caſtra ſubit; pulchro præſtabant corpore & ore
Egregiæ forma Nymphæ, cultúque decoro.
Alba pedes veſtis demiſſa fluebat ad imos,
Tortiléque in nodum crines collegerat aurum.
Geſtabant manibus ramos, genibúſque volutæ
Orabant Regem veniam, pacémque petebant.
Maxima tum natu, atque eadem pulcherrima forma
Hæc ait. ô Gallæ Regnator maxime gentis,
Iuſtitia bellóque potens, Diuûmque propago,
Te populi in ſua vota vocent, tibi ſeruiat Æther,
Æquoráque, & latè tellus obtemperet omnis.
Fulmineo armorum ſtrepitu, & clangore tubarum
Noſtris excitæ ſeceſſibus ad tua dextras
Tendentes ferimur tentoria, parce, precamur,
Subiectis, parce immeritos ſubuertere muros.
Ecce tibi noſtræ in fidei inuiolabile pignus
Mœnia diuidimus, dominúmque accerſimus vltro.
Nos prius auulſæ Gallo de limite eidem
Iungi iterum, populúmque tuis accedere regnis

Poſcimus, auſpiciiſque regi communibus omnes.
Quid ſic ergo tuos ferro, quid Marte laceſſis?
Parce tuo generi, tua mœnia vertere parce.
His Syriæ clades Godofredus ſedibus arma
Induit, & populis Aſiæ, quà fertur Orontes,
Subiectis, Solimo cinxit diademate frontem.
Sic tu fatales ſubiens fœliciter arces
Perge Aſiæ latè arua tuis adiungere Regnis.
Quà gradiere, tuas acies, tua præuius arma
Anteuolet pauor, & tremefactos occupet hoſtes.
Séque tibi comitem caſus Victoria in omnes
Addat, & auratis te circùm fulgeat alis.
Aut caſura mouet ſi te Germania, opémque
Ferre paras, tentanda via eſt per mœnia noſtra,
Hæ tibi erunt ſedes, hinc ſparges agmina campis.
Cernis, vt illa oppreſſa malis, bellique periclis,
Vix animam ægro corde trahens, opis indiga poſcit
Auxilium, manibúſque tuis in ſceptra reponi;
Vtque ſuas paſſis Aquilas tibi ſubiicit alis.
Cernis, vt inclinet tibi iam ſua cornua Rhenus,
Vt rapidas moderetur aquas, vt defluat amne
Lenior, aſſueſcátque tuis ſub legibus vndas.
Perge Deûm gens magna, tuos Fortuna vocatus
Audiet, & votis aderit. veniam annue culpæ
Interea, & noſtris ſuccede Penatibus Heros.
His dictis curæ emotæ, bellique reſedit
Ardor, & inuicto patuerunt mœnia Regi.
Miratur molem Victor, ductique labores
Aggeris, Europæ miracula, tantáque ſorte
Tam facili ceſſiſſe ſuis munimina ſceptris.

At ſecum. Nos maior agit Deus, omina noſtris
Proſpera dans cœptis opera ad maiora remittit.
Dixit, & impoſito victor cuſtode receſſit.
At Dryades Nymphæ repetentem regna ſecutæ,
Viue Deûm ſoboles, viue ingens cura tuorum,
Dixere; abrumpant nunquam tua fila Sorores,
Donec Iber, Seréſque tui ſint meta laboris,
Et gemino mundi fœlix in cardine regnes.
Dum tua RICHELIVS, *ſidus dum caſtra ſequetur*
Braſſacius, quantis tollet ſe Gallia factis!
Hæc fatæ currum dextra pepulere, leuéſque
In curſum effudere rotas; volat ille per agros
Ocyor, & celeri præuertit flamina lapſu:
Dum tandem optatam Princeps acceſsit ad vrbem
Pariſidûm, grauis exuuiis, & honoribus auctus,
Victrices errant circùm cui tempora lauri.

PAVLVS THOMAS, Engoliſmenſis.

DE LAVDIBVS LVDOVICI IVSTI, ET PACE GALLIIS DATA.

ODE.

QVA Liliorum ſtemmate nobili
Signata tellus cingitur Alpium
Victoribus noſtris retuſo,
Sæpe ſupercilio minaci.

Quà ſurgit illinc æmula ſiderum
Hoſtis Pyrene limes Iberiæ,
Longóque tractu quem ad Britannos
Vſque mare occiduum refluxis

Allambit vndis: Pax adamantino
Conſtricta nexu perſtitit, exteri
Secura ciuiliſq; belli, ex
Tempore quo aggeribus ſtupendis

Frænum reluctanti Oceano datum,
Et capta notis non priùs artibus
Rupella, curâ Cardinalis,
Conſilióque Ducis fideli.

Tum vidimus demum arma rebellibus
(Hoc nempe debent Principis optimi
Clementiæ) detracta leni,
Et ſine vulneribus triumpho.

Hinc ergo iunctis Gallica viribus
Enititur, pérque ardua montium
Et frigus æternum iuuentus,
Læta ſequi LVDOVICVM *euntem*

Quocumque creſcens gloria pellicit,
Extinguere vndis Eridani pàtris
Incendium, totus nouo quod
A Phaëthonte timebat orbis.

Nunc inde laudem poſcit ad alteram
Regem infatigatum aſſiduus labor,
Belgáſque Germanóſque Rhenus
Amne ſecat medios tumente.

Huc iam vſque fines lilia proferunt,
Stat hîc vt olim terminus imperi,
Quem vltra ire victrices phalangas
Iuris amor vetat atque recti.

Per vim occupati non diadematis
Ardent auara corda cupidine.
IVSTO *ſatis Regnum eſt auitum,*
Quod placitis moderatur aquis.

RENATVS MICHAEL DE LA ROCHE-MAILLET.

GENETHLIACON DELPHINI.

FRAGMENTVM.

TALIA dum memorant ſenô chorus agmine Phœbi
Delecti iuuenes, magnúmque ad ſidera tollunt
Henrici nomen, pugnatáque in ordine bella;
Atque triumphatum ſignis victricibus orbem;
Protinus his tacitô reſpondent murmure laurus
Caſtaliæ, mugítque ſacris cortina ſub antris,
Et procul Aſcræum nemus aſſonat: ecce repentè
Auditur mihi plauſus, & altera gaudia ſurgunt
Delphino ſurgente, ducem quem tota ſalutant
Æquora, regnatas Patri lambentia terras,
Maiorem reliquis, ſolo genitore minorem:
Cui ſubmiſſa cadit Neptuni fuſcina, Triton
Paret, & in mediis famulantur Naiades vndis.
Squammeáque alludunt incani examina Phorci.
Cui glauco vicina mari iamiam attremit ingens
Parthenope, & noſtris quondam Trinacria ſceptris
Subdita, ab Italico tractu magno impete ſæui
Interuulſa freti: cui venturi omine certo
Procubuere altæ demiſſis cornibus Alpes;
Et tu vane Ligur, Inſubria culta, liquentes
Eridani Varique amnes, quibus arua colonus
Proxima, & humentes ſentit pingueſcere glebas.
Ergo huic alternis dicunt præſagia Muſæ

Car-

Carminibus, faciles & habent in fœdera Parcas.
Creſce puer dudum populis optantibus orte,
Fortunate puer, cui priſca oracula vatum
Aurea pacatis cecinerunt ſæcula bellis.
Quarta tibi plenis numeratur menſibus æſtas,
Quartáque hyems, ex quo primùm de more cadentem
Excepere ſinu Nymphæ, quà plurima rupes
Pocula de gelidis libans Acheloïa largè
Pumicibus, bellæ fontem denominat vndæ.
Hîc nemora, & colles, & amictas collibus vmbras,
Antráque multarum latebris ſinuoſa ferarum,
Aut venator equo Rex, aut cane ſæpe fatigat,
Cingit & vmbroſos ſolerti indagine ſaltus.
Sæpe pharetrata viſus comitante Diana,
Delius occiduos illic traducere ſoles,
Corytos geſtans humeris, arcúmque ſonantem:
Sæpe vagæ ſpatiantur Oriades, atque ibi lætas
Cum Satyris ducunt lunâ fulgente choreas.
Scilicet hoc, Princeps, tua primum infantia cælum
Hauſit, & ipſe tuis pulſus vagitibus aër.
Felix naſcentem tellus, quæ cernere ſolem
Hunc potuit: nullo tantùm ſe iactet alumno
Roma, licèt nobis Latio diademate cinctos
Proferat, Arſacios aut victrix Parthia reges,
Ipſáque miretur Iouis incunabula Creta,
Non Curetes opem ſcuto crepitante tulere,
Nec tibi nâſcenti cuſtos Corybantius æra
Impulit, aut ſurdam raucis tinnitibus aulam
Impleuit, patrias ne vox percelleret aures:
Læta fuit Lucina, parens arriſit vterque,

Concentúque nouo lætæ pæana canebant
Permeßi Nymphæ, & reſonabat plauſibus æther.
Centum vrbes, quas occidui maris vtraque lambunt
Littora, puluereis feriebant aëra bombis,
Tanta per accenſas teſtantes gaudia flammas.
Inde ſacerdotes ad puluinaria Diuûm
Thura dabant, gratos Superis halantia fumos,
Fundebántque preces, onerabant æthera votis.
Tum populi miſere ſuos huc vndique patri
Legatos, pueri ſacros gratarier ortus:
Quos vagus humectat flauentibus Iſter arenis,
Quos & naſcentes explorat gurgite Rhenus,
Quóſque Alpes, quos & diſterminat alta Pyrene,
Et Thule, gelidáque rigens tenet ora ſub Arcto.
Quinetiam hæc populis pennato concita lapſu
Fama tulit, quibus Ægyptus, fœcundáque Nilo
Arua, & odoratæ ſyluæ tondentur Idumes.
Ipſe pater reſidens Tarpeiæ culmine rupis,
Cui cœli reſerare fores, & claudere ſoli
Conceſſum eſt, quamuis gelida tardante ſenecta,
Gauiſus: reliqui, queis ſtat radiante galero
Ordo ſacer, tanti celebrarunt gaudia partus.
Quippe fide primogenitos Eccleſia cernit
Franciadum naſci ſua propugnacula Reges:
Chriſtiadum & primi ſuccreſcere Principis aulam
Prole noua, totum quæ ſubdet legibus orbem.
Interea donec ſurgens adoleuerit ætas,
Magnepuer, ſeu te celſo radiantia colle
Caſtra tenent, Diui Germani nomine dicta:
Seu matutina nemorum vectaris in vmbra,

Lympharúmque tubos mirans ex arte ſonantes,
Ingenuo laqueata ſubis antra humida topho:
Iam blandè fari incipiens, & ab vbere pulſus,
Iuſtitiæ ſanctúmque bibas pietatis amorem,
Componens teneros facili dulcedine mores,
Molliat vt tenerum mitis clementia pectus,
Ne calidas animis puerilibus hauriat iras:
Sic poteris Rex eſſe tui, Rex eſſe tuorum.
Hæc diſcas; at cùm veniet tibi robur ab annis,
Spumantes verſabis equos in puluere Circi,
Cornipedi premere, & laxas dare doctus habenas;
Tunc enſes ſtricti in manibus, ſimulachráque pugnæ
Ludentur: diſces quo Pæones arma rotatu,
Quo Macetæ ſua geſa citent, quid norit Iberus,
Germanúſque ferox, ſæuos quibus artibus hoſtes
Contuderit Genitor, quo turbine torqueat haſtam.
Talis in Idæis narratur Iuppiter antris
Exertaſſe ſuos primæuo flore lacertos,
Irrita per vacuas iaculando fulmina terras.
At cùm te Superi, cùm te pia bella vocabunt
Hæreſin aduerſus; tunc ſternes impia ferro
Agmina, tunc certâ iaculabere fulmina dextrâ,
Dein ſtrato Mahomete potens, atque orbe recepto
Victor Idumæis coniunges lilia palmis.

BORBONIVS.

INAVGVRATIO
LVDOVICI XIII.

SVNT etiam Superi, nec inexorabile cœlum
Assiduis Gallos exercet luctibus, astra
Indulgent nostris iam conciliata querelis.
Et nos extincto miseratus Rege, sub vndas
Fugit, & horrentem tristi caligine vultum
Quinque dies, toto ostendit Sol luridus Orbe,
Atráque sollicitas texerunt nubila terras.
Necnon illacrymans indignis casibus æther
Insolitum densis fudit de nubibus imbrem,
Quo largi creuere amnes, quo Sequana totis
Intumuit ripis, & lapsus in æquora cursu
Præcipiti, tanto de funere nuntius Arcton
Perculit, extremaque gementia littora Thules.
Ergo secuturas populus dum peruigil Idus
Horret, & insomnes per opaca silentia curæ
Exagitant animos, lacrymæ vndique, & vndique terror:
Indigetum è cœtu casum LODOICVS, *& vrbem*
Adspexit, chari corpúsque exangue nepotis.
Extemplò patrius mentem dolor occupat: & cui
Tantùm (ait) in nostrum licuit genus? vnde meorum
Confossum latus, & crudelia vulnera cerno?
Méne petunt etiam pestes, & peruia monstris
Nescius astra colo? Nec plura effatus ab axe
Emicat Herôum, niuei quà semita lactis

Albentem in ſulcum glomeratos porrigit ignes:
Vtque nihil tardatus erat iam mole caduci
Corporis, implicitos per tot ſe ſuſtulit orbes
Ocyus, ardentíque ſuper consêdit Olympo.
Hîc reſidens, altas rerum molitur habenas
Terrarum cœlique Sator: micat æthere puro
Regia, librati ſurgens in vertice mundi,
Quadratóque immota ſitu, quam numine complet,
Maieſtate ingens: hinc atque hinc flammeus Ales
Iuſſa facit, ſolérſque ſuo Natura miniſtrat
Authori, ſolóque Elementa cadentia nutu.
Ad quem tum ſupplex LODOICVS *talia fatur;*
Multa querens, caſúque animum perculſus acerbo.
Maxime regnator Diuûm, qui fulmina torques,
Sub pedibúſque premis terras, ſedéſque ſilentum:
Quid me cœlitibus, vanum largîtus honorem,
Annumeras? & ſydereis accedere templis
Nequicquam concedis, agunt ſi immitia fata,
Et mea mortales carpunt præcordia curæ?
Si terris viles ſumus, & res Gallica nullam
Sentit opem, tuáque heu! noſtros tutela nepotes
Deſtituit? méne hæc genitor ſperare iubebas,
Cùm ſceptrum mortale, tui tot adire labores
Nominis egit amor? cum me, tua gloria Regno
Atque animâ potior, caput obiectare periclis,
Et petere ignotas ſuaſit trans æquora terras?
Europáque Aſiáque tuos arcere Rebelles,
Infidum genus, & longinqua laceſſere bella?
Hîc quamquam infelix fortunæ cedere virtus
Iuſſit, & aduerſis tentaui plurima fatis,

Me tamen anguſtis victrix patientia rebus,
Et pietas, ingénſque tuæ fiducia dextræ
Firmabat, tunc cùm captiuo vincula collo
Barbarus iniecit, noſtrâ cùm ſtrage Canopus,
Et ſeptemgemini rubuerunt flumina Nili?
Nec Peluſiacis me cedere mœnibus hoſtis
Contentus, nomen furiata mente iubebat
Eiurare tuum, atque aris adolere nefandis,
Nì facerem, ferrum capto intentabat & ignes.
Sed nullæ fregêre minæ, nullóque timore
Nutauit labefacta Fides, quam propter, ab axe
Occiduo, ad rubras penetraram Doridis vndas,
Tot maria emenſus, tot inhoſpita littora claſſi,
Horribilémque luem, & populantes agmina morbos
Paſſus, & hybernos cœli pelagíque furores.
Pro qua, certus eram victrices denique lauros,
Inter inacceſſas Libyæ ſquallentis arenas
Quærere, & inſignem domita Carthagine mortem.
Quid tot bella iuuant exhauſta? ſeniſque cruentas
Arſacidæ fugiſſe manus? ſi vulnera tandem
Impia, ſi noſtra ductos ab origine Reges,
Inuiſos fatis heu! ſors miſeranda manebat,
Percuſſore peti, diróque occumbere letho?
Hiccine nunc pietatis honos, hæc præmia nobis?
En etiam orba viro coniux tria pignora cœlo
Oſtentat lacrymans, Mater factura, vel ipſis
Inuidiam Superis: en noſtri nominis hæres
Imperio venit, & patriis ſuccedere curis
Penè infans gemit, ac tantas detrectat habenas:
Heu nimium inſidiis ætas obnoxia! quis nunc

Quis rectore suo vacuum moderabitur orbem,
Aut desolatas Luparæ tutabitur arces,
Omnem si nostri posuisti è pectore curam?
Talibus orantem LODOICVM, *& sydera questu*
Implentem, cœli rerúmque æterna potestas
Excepit, Superûm dicturo exercitus omnis
Attremit, & totâ nutat compagine mundus,
Tum sic venturis soluit non irrita fatis
Ora Deus; Non vlla mihi LODOICE, *recessit*
Cura tui generis, vanis absiste querelis;
Nec me tantarum capiunt obliuia rerum
Quas Oriens, medium quas Sol euectus in Orbem
Vidit: adoratæ cùm te pius ardor Idumes
Impulit, & regna Ægypti temerata profanis
Ereptum dominis, Libycósque accedere portus.
Stat meritis æternus honos, tua didita cœlo
Gloria, & in seros Regnum immortale nepotes
Mansurum: sed enim quòd lamentabile funus,
Et sparsas iterum cognato sanguine terras
Conquereris? non hæc iniuria nostra, nec istud
Non vetuisse, Dei est crimen, dat libera cuique
Fata Deus, propriisque fluunt mortalia causis.
Magnanimus Princeps cæco seruire timori
Indocilis, dum nullâ alienum hausisse cruorem
Sæuitiâ memor, ipse suum non credit ab vllâ
Peste peti, & longè stipantia submouet arma,
Et quem scit meruisse hominum confidit amori,
Insidiis patuit: quo tempore Punica debet
Inuenta, & diras horrescere cautior artes.
Non aliis fuerat caput hoc superabile telis.

Vidi ego percuſſum cadere, indoluique cadenti,
Et vix vltrices compreſsi ex æthere flammas:
Sed veniet tempus, cùm fraus & operta patebunt
Crimina, méque ſuo gaudebit vindice Gallus.
Intereà ſolare animum, tántique doloris
Deſine: namque omnis fatorum hac morte reſedit
Conſumptus furor, & melior fortuna ſequetur.
Ille puer, cernis? varij quem conditor anni,
Exacto nondum nouies Sol orbe ſalutat,
Iura dabit terris, referens & ſæcula genti
Aurea, pacata fœlix adoleſcet in aula.
Sed mater, refugit nati quæ mollior ætas,
Imperij curam delatáque fræna capeſſet,
Virtute atque animis præſtans Regina, nec illa
Inferior, quæ te, LODOICE, impubere Regno
Extulit, hæc patres generoſo ſanguine Thuſcos,
Auguſtos à matre refert, aquiláſque potentes
Cæſareæ monimenta domus, nec moribus vlla
Sanctior, aut noſtris ſupplex aduoluitur aris
Sæpius, hæc lapſis ſucurret Fœmina rebus.
Tum motus populorum, inſanáque bella vetabunt
Vnanimes Regni proceres, fortíſque Senatus.
Prima fidem, & non obſequium violabile, cunctas
Exemplo tractura ſuo Lutetia gentes,
Præſtabit Regi: tum quas vtrimque recuruis
Ambit littoribus Gallorum Nereus vrbes,
Quáſque procul rapido deſcendens amne Garumna,
Et Rhodanus, Ligeriſque vagis interluit vndis,
Conuenient teneros certatim agnoſcere nutus
Principis, accipiéntque iugum ceruice volenti.

Ipſe

Ipſe truces longè Mars indignatus adibit
Biſtonas, & læta Gallos in pace peroſus
Inſanum fremet, atque minas iactabit inanes.
Verùm vbi ſe primo decorarit flore iuuenta,
Addideritque animos, & adultis robur ab annis,
Otia tùm rumpet patriæ LODOICVS, *& altis*
Aſſurgens auſis, reſides in bella mouebit
Franciadas, iam barbaricas mihi fulminat arces,
Jam premit Eoum ſignis victricibus Orbem,
Et quæcunque olim magno pietatis amore
Auſus eras, toties nolentibus irrita fatis,
Implebit victor, peragétque ingentia cœpta.
Sic ait, atque Crucis quaſſans venerabile ſignum,
Per domitos Manes, & caligantia regna,
Pérque triumphatæ pallentia limina Mortis
Annuit, & toto Ditem tremefecit Auerno.
Nec mora, cùm volucres curſu properare miniſtros,
HENRICIQVE *animam venientem ſiſtere cœlo*
Imperat: illa alacris, ſed vulnere tardior ibat,
Herôum rimata viam, ſedéſqûe beatas.
Ilicet aërio lapſi per inane volatu
Occurrunt, feſſámque leuant, chorus aſſonat omnis
Semideûm, & plauſu mediam deducit ouanti,
Syderibúſque locat, humiles vnde ardua terras,
Et pelagus, ſubtérque meantia flumina cernit.
Hîc pater abſterſit lacrymas LODOICVS, *amicis*
Lætatúſque Dei fatis, & honore ſuorum.
Atque ea ſuprema mundi dum parte geruntur,
Concuſſas latè bacchatur Fama per vrbes,
Horrendúmque nefas primò vix credita portat,

Vlteriora petens : & adhuc ſub nocte ſilenti,
Pallida turbatis irrumpit nuntia caſtris,
Hinc quæ Moſatuos, hinc potant Matrona fluctus.
Nam qua fertilibus latè Campania glebis,
Inter vicinos tellus ſe porrigit amnes,
Conſtiterant acies : altáque in nocte micabat
Ære renidenti regio, Germania bellum
Dum parat, & ſociis dubius Mars errat in armis.
Tum verò exarſit noſtris dolor : impete cæco
Authorem ſceleris per apertum cladibus orbem
Fert animus reperire, & ſontes voluere terras.
Quod ni ſumma ducum facundia, militis iras
Temperet alloquiis, rupto iam fœdere mundi
Sæuirent odiis accenſa furentibus arma,
Et gemeret fuſos Europa cruoribus amnes.
Vt cùm prolapſus de montibus, obice torrens
Naturæ ſtetit, aut operis, fremit vndique circum
Oppoſitas moles, atque indignata teneri
Vnda minax, rapido aſſultat violentior æſtu,
Aggere mox rupto in campos ruitura ſonantes.
Sic animis altus ſæuit furor, auribus & iam
Non vllos monitus ſolatiáve vlla morantur;
Ter ſubiit totis conuellere ſigna maniplis
Impetus, externíſque ignotum finibus hoſtem
Quærere, ter vetuere duces, iráque repreſſis
Ardentes micuere oculi, & ſcelus vnde nefandum
Suſpectántve dolos, huc rauco murmure longas
Intonuêre minas, horrendúſque impulit Alpes
Armorum fragor, & Morinos Rhenúmque bicornem.
Hîc vetus, emeritis & non inglorius annis

Signifer, Henrici fortunam & bella secutus
Per varios casus, tanto sub Principe longam
Militiam, & graue Martis opus, qui sæpe feroci
Iactarat fastu, cui fossum pectus honestis
Vulneribus, toruóque ingens sedet ore cicatrix:
Non tulit hoc animo vulnus, sed protinus irâ
Atque dolore amens, sociis spectantibus vltrò
Infœlix signum, & damnatam proiicit hastam,
Noctémque stellásque & euntia lumina Phœbes
Incusans, surdo facit hæc conuicia cœlo.
O Dij crudeles, & diri conscia casus
Sydera, non faustos vibrantia desuper ignes,
Quid struitis? quídve has inimico lumine terras
Figitis, inuisam iurata exscindere gentem
Gallorum? at nullo meriti hoc errore, nec vlla
Criminâ, sed vestram, quæ pascitur atra cruore,
Inuidiam luimus, nimio plus creuimus, & vos
Iampridem nostræ ceperunt tædia laudis.
Quin agite, humanis si finem ponere rebus,
Atque odium satiare placet, librate coruscа
Fulmina, concussō miscete incendia mundo,
Amisso iam nulla timet dispendia Rege,
Et iactura leuis reliqui: iam parcere nobis
Crudele est, omnes vno quin sternitis ictu?
Dicite. Sed nostras nullo dignata querelas
Murmure prætereunt, cœlóque inuecta silenti
Luna fugit, tacitis properans se condere bigis.
Ast Henrice iaces, immitis victima fati,
Prô scelus! & nil iam debes cœlestibus vllis,
Et Virtus ignaua videt? secura pudoris

Sustinet hoc Fortuna nefas? cur perfida quondam
Te prope cæruleæ pugnantem Tethyos arua
Hostibus explicuit mediis? cùm fulmine dextræ
Hinc maris Arctoi fluctus, horrentiáque illinc
Arma eluctantem stupuit Neptunus, & ipsos
Allabi pelago stagnantes sanguine campos?
Cur per Santonicas acies, & stragis aceruos,
Per tot Iberorum cumulata cadauera latè
Victorem duxit Regem? lateríque verendo
Formidata diu mortalibus, induit arma?
Quæ Belga, & totis horreret Sequanus aruis?
Siccine vt infami te proderet impia monstro?
Jncoctáque Erebo furiarum cuspide, tantus
Oppeteres, nulli ferro penetrabilis hosti?
O vtinam, qui tantorum pars esse laborum
Tunc memini, & pugnans ipso te vulnera teste
Accepi, medio cecidissem puluere victor,
Extremúmque decus præclarâ morte tulissem!
Nam quid ego infœlix te decedente superstum?
Cur patriæ clades oculis & dedecus istud
Haurio? sed præstat crudelem abrumpere vitam
His manibus; iam non Rex incomitatus abibis,
Te sequor. (hæc dicens sæuum recluserat ensem
In pectus) socij inuadunt, ferrúmque furenti
Eripiunt, atque his castigant vocibus vltrò:
Degener in mortem ruis, & perferre dolorem
Non potis immensum festinas funera? quin te
In sortem patriæ, & communia fata reseruas?
Huic animis opus est nostris, huic pectore forti.
Ille refert: Non quòd cœli hoc spirabile lumen

Inuitus linquam, aut vitæ dulcedine captus
Obsequor, ô socij, nec adhuc superesse recuso.
Sed Regis regnique salus, nunc viuere iusso
Clamat, & insanum reuocat mihi mortis amorem:
Iam quodcunque animæ superest, & sanguinis, vni
Seruatur, LODOICE, tibi tua sceptra tueri,
Et quem supremum genitori ferre laborem
Sperabam, nato certum est impendere, nulla
Otia iam quæro, aut patrios veteranus arare
Lentus agros, segnive armis procul esse senectâ,
Stans moriar. nos hæc socij iuremus in arma
Vltores diri sceleris quocunque futuros
Tempore, nec fuscis passuros lilia Mauris
Alba premi, Francumve dolis abolescere nomen.
Dicentem sequitur clamor, cunctique paratas
Ostendêre manus, densúmque horrentibus hastis
It nemus: hîc fausto LODOICVM nomine castra
Ingeminant, pulsi referunt ad sydera colles.
Interea surgens humentia dispulit astra
Phœbus, & attonitis iterum mortalibus almam
Eoo tulit axe facem, quæ turbida quamuis
Hesternum execrata nefas, dum terra tenebris
Damnari timet æternis, gratissima fulsit.
Exoritur nobis Lupara LODOICVS ab alta,
Ceu quondam irato deprensis æquore nautis
Sydus Amyclæum suprà caput astitit: olli
Natiuum formæ Majestas prima decôrem
Auxerat, & viuos oculis afflarat honores,
Exstantémque repentè humeris, totóque videri
Corpore maiorem, & radiantia fecerat ora:

Atque hanc, aduerſæ reſidens in margine ripæ,
Auguſtam, aurato ſolio expectabat, ad ædem
Diua Themis. circùm proceres comitantur euntem,
Sublimémque in equo pedites, ſine more, profundum
Teſtati obſequium, demiſſáque pectora Regi.
Continuò ſonuêre tubæ, ſuper aurea clamor
Aſtra, ſalutantum, & ſtudiis votíſque ſequentum
Vndique ſublatus, latéque remugiit æther.
Eſt domus, è medio quæ pendula gurgite ſurgens,
Defixis altum arboribus libratur in amnem:
Subter agens torquet ſcandentes machina fluctus,
Tergeminíſque illiſa rotis immurmurat vnda.
Nympharum dulcis ſedes, vbi nocte diéque
Naïadum vitreâ ludunt examina pompâ,
Effundúntque lacus, centúmque canalibus vndam
Deſuper inſpergunt ponti, qui iungitur illis
Proximus, atque ambas coniungit marmore ripas.
Hac vbi Rex alacer greſſum tulit, vna dearum
Affata eſt, leni fundens hæc verba ſuſurro:
Progredere ô Diuûm genus, & ſpes vnica rerum,
Sol oriens terris, cui tempeſtatibus actam
Concedunt patriam tranquillo ſiſtere portu
Numina, & obſtantes depellere lumine nimbos:
Sis fœlix', & per populos des iura volentes
Longæuus, iuſtíſque regas ſub legibus Orbem.
Hæc Nympha, & placido lapſu ſe reddidit vndis.
Iámque ferè medij ventum ad diuortia pontis,
Extrema anguſtas vbi traiicit Inſula metas,
Hactenus & bifidum tellure interſecat amnem:
Cùm pater vndarum, Geniúſque apparuit ingens

Fluminis, ora ſuis attollens ſcrupeus antris
Sequana; limoſæ ſalices huic tempora circum
Surgebant, & glauca caput velabat arundo,
Multus arenoſo ſub pectore ſtridulus ibat
Calculus, & grandes rorabant imbre lacerti:
Ipſe cauis hauſtum terrarum hinc inde latebris
Humorem, & plena fluuium fundebat ab vrna.
Vtque propinquantem LODOICVM *ſenſit, & omnem*
Intremuiſſe vadis ſancto ſub pondere molem:
Leniter aduertit vultus, magnúmque futuris
Os aperit, venerans. O formoſiſſime Regum,
Rex, ait, immenſi quem ſpondent fata potentem
Æquoris, & generum Tethys emet omnibus vndis,
Tethys nota mihi: Sanctis ô edita ſalue
Progenies atauis, cuius ſe tollit in aſtra
Nobilitas, altóque ciet gentilia cœlo
Numina, poſſeſſos natis ſeruantia Gallos.
Hæc quæ produxit Rhetus, dum gurgite fertur
Obuius, & pelago communes iungimus vndas
Accipe, ne bello cœptíſque inſtare paternis
Rex dubites, Francis Germania poſtulat armis.
Defendi, atque tuum libertas nomen adorat,
Da ſociis arma atque duces, promiſſáque mitte
Auxilia, hæc facili virtus ſua limite ducet,
Omnia prona viris, nec eos obiecta tenebunt
Fluminá ve aut montes, aut inuia luſtra ferarum,
Vincet iter, prædulce decus, laudúmque cupido,
Obuia iam pandunt tremefactas oppida portas,
Cliuiáque, & dubiis nutat tibi Iulia muris.
Hæc vrbs, indigenæ ſi vera oracula vatis,

Mœnia celsa tuis submittet viribus impar,
Terrifico deiecta fragore, tuámque sequetur
Capta fidem, & dominos dignabitur ardua Gallos.
Talia voluebat melioris Sequana fati
Conscius, & refluis LODOICO *plura parabat*
Vocibas, ille cito transuectus flumina cursu
Augustæ Themidis successit sedibus ingens.
Hîc omnis radiauit honos, hîc vtraque fulsit
Purpura, Romanos quæ mundi lumina patres
Consilium æternæ Sedis, procerésque Quirini;
Quæque sacerdotes Themidis decora alta Senatus
Velat, & ardentes humeris inuoluit amictus.
Pauca serenato demùm Rex inchoat ore,
Spémque animis addit dubiis, pellitque timorem.
Tùm dea facundo surgens interprete fatur,
Eloquióque tonat: tenuêre silentia passim
Attoniti proceres, teneris Rex auribus hausit
Mellea decliui stillantia flumine verba,
Et sanctos monitus, præceptáque condidit alto
Pectore, nec nobis fas hæc æquare canendo,
Nec leuibus numeris tam docta reteximus orsa.
Illa Patris patriæ casum miserata ciêbat
Principibus lacrymas, vicináque flebile templa
Reddebant murmur, simulacráque mœsta per aras.
Altiùs hinc repetens, vt cœlo lapsa, docebat,
Majestas omnem sub leges miserit Orbem,
Atque homines certis parêre coëgerit olim
Imperiis, sanctos vt fecerit vnica Reges
Iustitia, & summo Superis æquarit honore:
Iustitiæque super Pietatem Gallica sceptra

Addi-

Addiderint, pulcros virtutum nacta duarum
Concentus, longíſque adeo florentia ſeclis.
Tum quoque magnorum Regi memorabat auorum
Exempla, & geminos ab eodem nomine Reges
Promeritos claras cœlóque ſolóque coronas.
Hunc pietas niueis vexit ſuper æthera pennis,
Adſcripſítque polo Diuûm, atque audire precantes,
Et damnare dedit votis, cui thura vaporant
Vndique, & accenſi lucent altaribus ignes.
Aſt illi, quem tu numerato nomine Princeps
Proximus inſequeris; moderatæ gloria vitæ
Inque ſuos bonitas, æternâ viuere famâ
Præbuit, & lenem populis audire parentem.
Hæc & plura Themis Regi, dein vota precéſque
Effudit cœlo, factóque hîc fine quieuit.
At procerum iurata cohors iter omne remenſa eſt
Ad Luparam, & patriæ LODOICVM *reddidit aulæ.*
Quattuor hîc totos meditantem ex ordine menſes
Vidimus, & doctâ tingentem pectora lymphâ
Sub Phœnice ſuo, qui quæ ſapientia Graiûm
Quæ Romanorum fuerit, quæ Principis artes
Edocet: vt decorent imitantem numina Regem
Compoſiti mores, vt turpe cupidine vinci,
Tranſuersúmque rapi violentæ fluctibus iræ,
Nec ſubitis lentos affectibus addere frænos.
Præterea reſerat Naturæ arcana latentis,
Quæque vel immenſo tellus animalia tractu
Educat, æquoreóve natant in gurgite monſtra,
Quicquid ſerpit humi, aut leuibus ſecat aëra pennis,
Et quos cuique dedit generi Pater optimus vſus,

Ingeniúmque feris mirabile, pluribus atrum
Virus ineſt, aliæ dociles manſueſcere cultu.
Interdum herbarum curantes vulnera ſuccos
Narrat, vt inuentum Cretæa mater in Ida,
Quem tulit Æneæ florem, dum ſauciis armis
Abſtinet, & ſæuâ confixus crura ſagittâ
Nequicquam medicas implorat Apollinis artes.
Quámque, coloratos penetrat dum victor ad Indos
Vidit Alexander radicem nocte ſoporâ,
Icta venenatis ſanantem corpora telis.
Paſcitur his animum LODOICVS, *& altiùs ora*
Inde ferens, vaſti fulgentia mœnia mundi
Miratur, Superíſque audit quæ fœdera Regnis,
Qui motus: celeres vt primus concitet orbes
Orbis in occaſus, & ſtantia ſydera ſecum
Torqueat, errantéſque globo ſeptemplice flammas.
Rurſus ab occaſu reliqui nitantur in ortus
Motu quiſque ſuo, primi motúmque retardent
Orbis in aduerſum, ne fors violentiùs acto
Cuncta rotet mundo, frigúſve inamabile perdat
Squallentes refugâ Solis vertigine terras.
Sic Pater omnipotens, vicibus qui temperat æquis
Omnia, conſuluit rebus, certíſque mouendos
Mentibus addixit radiati fornicis orbes.
Hæc Regis teneros animos ſi fortè fatigant
Ftur in annales, & longis edita faſtis
Tempora, tot veterum pugnas, Regúmque Ducúmque;
Nec niſi in exemplis ſe Rex ingentibus ingens
Inſpicit, arma cupit, faciléſque ad bella lacertos
Ventilat, & patriâ iam ſe metitur in haſtâ.

At Regina olli mater blanda oſcula libans,
Macte animis Heros, inquit, ſed prælia differ,
Te tua ſacra vocant, priſci tibi cuncta parantur
Vrbe Remi, te cœleſti perfundet oliuo,
Regalémque ſuâ ſignabit imagine frontem
Æthereus genitor, cunctos qui numine Reges
Protegit, atque tuis adiungit robora ſceptris.
Fac modò luſtratus venias, & pectora ſerues
Pura Deo, noxæque omnes tibi ritè pientur.
Paret Rex dictis charæ Genitricis, & vrbe
Digreſſus, magnâ procerum ſtipante cateruâ,
Arua triumphanti curru ſubiecta peragrat,
Pérque ſuos latè populos, feſtáſque per vrbes
Inuehitur: quà fert greſſus, tepefacta repentè
Vernat humus, latíque notant veſtigia flores,
Plenáque odorato ſpumat vindemia Baccho.
Ipſa etiam, quamuis pronum Campania neſcit
Autumnum, atque nouis Regi ſe iactat ariſtis.
Celſa Remi tandem peruentum ad mœnia, quò ſe
Relligione patrum reges, & more vetuſto
Ferre ſolent, illícque noui primordia Regni
Ducere, cœleſti augurio, ſacríſque litatis.
Templum antiquum, ingens, inciſas arte figuras
Dædala, & exſculpto ſimulacra nitentia ſaxo
Diuorum atque hominum foribus ſuſpendit in altis,
Hoſpitibúſque adeò primum ſpectacula pandit
Veſtibulum, & toto mirantes detinet arcu.
Iámque dies aderat, quâ ſacrum mittere rorem
Decretum Superis oleíque ex æthere fuſi
Vngere diuinis LODOICI *tempora guttis.*

Deduxêre illum proceres, longóque decora
Ordine nobilitas, quicquid mirabile Phœbus
Vſque repercuſſis veniens deſpectat ab vndis,
Inſignes quoſcunque ſinu fert Gallica tellus
Aut proauis aut Marte viros, ſolennia tanta
Adglomerant, vnâque tegunt teſtudine templi.
Fœlix illa dies, pariter mortalibus vna
Et Superis hæc cura fuit, tibi, Gallia, Regem
Ornare, atque tuis oculos aduertere rebus.
Iam roſeo Rex ore nitens, acceſſerat aram
Virginis, intactus pluuiæ flos qualis & Auſtro.
Gramineis tùm manè recens aperitur in hortis,
Quem neque delapſæ turbarint arbore frondes,
Non vaga laſciuo decuſſerit vngue puella,
Non apis expanſis volitans inſederit alis.
Integra virgineo ſtabat Reuerentia vultu,
Quæque verecundi proles incedit Honoris
Majeſtas, hunc non ceſſantem in vota precéſque
Et genitrix Virgo, pater & LODOICVS ab aſtris
Deſuper adſpectant. meritis adit illa Tonantem,
Hic precibus: Virgo ſed talibus occupat. ô qui
Æterni Regis imperiis mortalia, cerne
Gallorum noſtras quantus conuentus ad aras,
Quæ pietas genti, quanta Rex indole ſurgit
Innocuus, caſto ſuffuſus vt ora rubore
Induitur ſacrâ puerilia tempora vittâ,
Eque meâ ſupplex patriam capit æde tiaram,
Huic tu, ſi quis amor, cæleſtia munera funde,
Si quis adhuc noſtris precibus locus, annue fœlix
Imperium, & longos manſuro ſtamine fuſos

Ire iube Parcis : extremum hoc muneris esto
Dilectæ (quando hoc dignaris nomine) matri.
Omnipotens contrà. nam quid tibi, chara, negarim
Mater, ait ? sed quod tantis ambagibus oras,
Sponte dedi : Gallis fœlicia currere fata
Edixi, & placidum sceptris assurgere Regem.
Huic quoque cœlestes, ad sacra altaria, nimbos
Desuper infundam, atque vni, pluet imbre sereno.
Dixerat hæc. lato discedit limite cœlum
Protinus, & larga rorant aspergine nubes
In caput inque humeros Regis, completur odore
Omnis eum circum locus, atque halantia fragrant
Templa procul : lætus mediis auditur in astris
Concentus Superûm : & flammati regia cœli
Defensis agitat communia gaudia terris.
Tum quoque sydereis è sedibus aduolat Ales
Mortales fallens oculos, Regique coronam
Imponit, rursus mox sese librat aperto
Æthere, & ingenti percurrit inania flammâ.

BORBONIVS.

EXPEDITIO IVLIACENSIS.

IMODO, *degeneres aude gens inuida Gallos*
Dicere, vel tanti Regis post funera nostris
Insultare malis : amisso Rege supersunt
Mille duces : diro penitus non corruit ictu
Gallia, procedit versis exercitus armis
Horridus, externósque quatit terroribus agros.

Scilicet inferias vt det Regalibus vmbris,
Hostilique furens latè metat omnia ferro.
Infestæ gentes & conscia regna verentur.
Hunc agit ira minor, tantùm promissa Sicambris
Auxilia incedunt, alium differtur in hostem,
Et nondum sacri petitur vindicta cruoris.
Quas rerum fortuna vices non improba versas?
Nuper enim Francæ sonitum perculsa ruinæ
Audierat currens vtroque ab littore tellus:
Gallia vicinis tum conclamata iacebat
Infœlix populis, nec lapsa resurgere regna
Posse videbantur tali viduata Parente.
Iámque petebatur nostro de funere præda
Hostibus intentis, si quâ discordia ciues
Præcipites ageret, veteresque accenderet iras.
Ecce nouâ virtute, animis concordibus omnes
Iura domi pacémque colunt, patriæque labanti
Et deploratis iurant succurrere rebus;
Mox quoque bella foris, ne quid vis hostica tentet,
Fortiáque ostentant inimicis gentibus arma.
Si qua fides veri, dum campis agmen apertis
Emicat, æratæque attollunt signa phalanges,
Cornipedúmque gradu tellus pulsatur equorum:
Dum Castræus agit turmas, conóque micanti
Cassis, & insuetos vmbo vomit aureus ignes:
Attonitus specie ingenti, tantóque paratu,
Qui Rhenum Mosámque bibit, quem funere mersum
Crediderat, visus præsentem est cernere Regem:
Ipse etiam toto turbatus limite Belga
Heu nimiùm veræ timuit mendacia famæ!

Vt tandem propiùs fremuerunt castra, fidémque
Vix pullis fecêre sagis, vbi sericus albo
Imber de lacrymis manantibus intertextus
Pendebat filo, & guttæ sine fine cadentes:
Tum nihil indubitans nostris vetus accola Rheni
Cladibus, indignos soluit miserantia casus
Talibus ora modis: O gens Mauortia Franci,
Nesciáque aduersis demitti pectora rebus,
Ergo vera patet, quæ dudum fama ferebat,
Ereptum vobis falsa inter gaudia Regem;
Iam video, & sæui sunt hæc monumenta doloris.
Quæ tantùm, quæ vos exercet numinis ira
Immeritos, sortíque adeo subiecit acerbæ?
Attamen huc quamquam fatis crudelibus acti
Pactorum memores, patriis veniistis ab oris,
Emensi vastas loca per squallentia terras;
Vsque adeo non gens virtuti imperuia vestræ;
Non regio in terris, inuictáque sumitis arma.
Quantos inuidit vobis fortuna triumphos!
Nunc vbi qui Morinis dux mercenarius olim
Venditat imbelles operas? nupérque feroci
Voce lacessebat Regem? pacémque negabat
Venturo, & tremulam quatiebat turbidus hastam?
Cur non Castræo venienti occurrit in armis
Cominus? angustósve insedit milite calles
Præclusitve aditus? virtusne hunc tota recessit
Ventosam in linguam, timidúsque ad classica pallet?
Vane Ligur, frustráque animu elate superbis,
Non te magnanimo talem concurrere Regi
Dij voluere, tuámque animam hac effundere dextra:

Ille velut ſpinas atque herbas falce nocentes
Demeteret, ſpatióque iret iam victor inani.
Hæc dum Germanus vario ſermone volutat,
Arma ſub aduerſis radiarunt Gallica muris
Iuliaci, primúſque equitans ſucceſſit ad ipſas
Caſtræus portas: pauor ima per oſſa cucurrit
Incluſis, coiítque nouâ formidine ſanguis:
Ceu pauidas matres & terruit Hectoris vrbem
Turribus ex altis quondam conſpectus Achilles.
Ille vetus ductor, Reginæ iuſſa capeſſens
Auſpiciis, LODOICE, *tuis tranſmittere lata*
Flumina, terribiléſque alta caligine lucos
Auſus, inacceſſum legionibus vſque, ſuperbas
Per gentes patefecit iter: dum Gallia rebus
Incertis nutat, coniúxque & chara reclamant
Pignora, dum feſſum maturúmque obſidet æui
Canities, annique graues iam tempora pulſant.
Tantus amor patriæ, & vitam poſtponere laudi!
Quinetiam dubias auſus ſpes omine tali
Firmare, euentúſque ſuis promittere cœptis.
Vrbs eſt Campanis in finibus, vbere gleba
Dives, & externo validis obiecta furori;
Mœnibus: hanc placidis pater anterlabitur vndis
Matrona, & ingentes fœcundat flumine campos.
Illic armorum variis accommoda bellis
Sarcina, & horrificum tormenta imitantia fulmen,
Sulphuréique cadi, nitróque latentia flammæ
Pabula, & immenſis glans ferrea ſurgit ateruis,
Vulcani ſudantis opus: tum machina ſupra
Vectibus aſcendit magno molimine currus:

Per

Per mediósque axes atque inter curua rotarum
Libratur, quæ puluereis disploſa repente
Ignibus, hoſtiles diſiecit fulmine muros
Sæpius, ingentíque vrbes patefecit hiatu.
Ergo ibi iuſſa dies aliquot dum ſigna morantur,
Caſtræúſque acies & ituras explicat alas,
Ordinibúſque ſuis tribuit: miranda relatu
Implenit res corda nouis mortalia curis.
Incertum ſilicis venis, ictióve metallo
Scintillam manus imprudens excuſſerit inter
Tundentes operâ, an rapta ex fomite flamma
Attulerint celeres inopina incendia venti:
Ecce furens inter congeſti ſulphuris vtres
Emicat, & totos depaſcitur ignis aceruos
Cum tonitru, concuſſa ſolo quo mugiit omnis
Extemplo circùm tellus, altæque per vrbem
Nutauêre domus, & cælo flamma reluxit.
At ciues, piceâ tectis fumante fauillâ,
Attoniti veluti portas irruperit hoſtis
Improuiſus, & igne domos populetur & arces,
Armati coiêre globo, fuligine donec
Diſcuſſa Titan vrbémque diémque retexit
Purior, & trepidas ſoluit formidine mentes.
Tum ſtrages, fœdaque oculis patuere ruinæ:
Quattuor exanimes fabri ſemiuſta iacebant
Corpora, terribili deiectáque turbine ſaxa,
Conuulſæque domus & rapti cardine poſtes,
Vſtâque Phlegræos renouauerat area campos.
Vt deflagratos ciuis miléſque vicíſſim
Luſtrauêre locos, alij hoc adſcribere ſæuis

Casibus ; ast alij peregrinum crimen, & hostis
Suspectare dolos : multi quid fata minentur,
Quidve ostenta Deûm, suspensâ mente requirunt :
Militibúsque prior fiducia pectore cessit,
Pars velut iratam Fortunam & læua timere.
Numina, longinquæ pars detrectare laborem
Militiæ, & propriis affingere sydera votis.
Hos inter motus, fatis interritus Heros
Acrius instabat Castræus, & optimus illi
Augur, amor patriæ, virtúsque ignara timoris
Suadebat meliora, Deos sperare fauentes,
Omniáque in nostros hostes conuertere dira.
Tunc aliquis, cui non prognatus vomere Thusco
Scire futura Tages dederat, sed mente sagaci
Iungere transactis currentia secula seclis
Mos erat, atque aliis alios expendere casus
Casibus, exemplis exempla nouissima priscis ;
Prodiit interpres fati ; neu vana timerent
Admonuit ciues, formidantésque maniplos,
Agminaque erexit : Non hæc præsaga malorum
Signa solent Superi miseris ostendere terris :
Nec iam semiferos partus, matríque timenda
Pignora, nocturnáve vlulatas voce luporum
Vrbes, ardentémve immani crine Cometem
Cernimus, aut puro labentia fulgura cœlo,
Aëre nec duri lapides, nec sanguinis imber
Depulit in terras : insignes talia clades
Gentibus, & tristes portendunt Numinis iras.
At nos cur leuius damnum, atque incendia terrent
Sulphuris, & subitæ vis hæc euanida flammæ ?

Non Phœbi tripodes mihi, nec Cumæa Sibyllæ
Antra patent, nec fatidico feror incitus æstro:
Prisca recordanti sed si miracula rerum
Non animum vati spes credula ludit inanem,
Attollet, LODOICE, tuus se fulgor Olympo,
Atque repentini tibi iam fœlicibus ignes
Auspiciis lucent, intacto vt vertice flamma
Ardebat, teneróque comas lambebat Iülo,
Quem res Romanæ maioráque fata manebant:
Vtque etiam infaustam cùm cerneret vltimus armis,
Parthenopem LODOICVS, Iberis flamma repente
Sulphureos hausit pugnæ sub tempora corbes,
Et simul incensis fulsit Victoria castris.
Talibus arrectæ mentes, & corda futuri
Anxia, conceptum vanis posuêre timorem
Auguriis, virtute Ducis iam fidere miles,
Et Martem spirare animis: iuuat ire per altos
Culmine præcipiti montes, per lustra ferarum
Inuia, limosóque pigras humore paludes:
Non saltus, non insidiæ, non vndique terrent
Rupibus impositæ circumpendentibus arces,
Tantáque terrarum spatia, atque fragosa viarum,
Fluminaque vmbrosas intercurrentia valles.
Agmine deseritur celeri Campania, Mosæ
Claustra patent, totísque adapertæ pontibus vrbes,
Et geminas seruant quæ propugnacula ripas.
Austrasiam post terga vident: iámque assere multo
Subterlabentem tacito rumore Mosellam
Insternunt, & iter ratibus per mutua nexis,
Tormentis pandunt & curribus: vndique pulsæ

Respondent ripæ, & colles clamore resultant.
Mox centum mediis habitata mapalia syluis,
Et totidem celsis hinc atque hinc mœnibus vrbes
Procubuêre duci, prompto cui iussa capessunt
Obsequio, siue arma viris, seu pabula castris
Imperet, & trepidas subigit pauor vndique gentes.
Iámque adeo Francis superabat sola trophæis
Iulia, non domino nisi concessura potenti:
Hinc Bataui fortes, illinc Germana premebant
Robora: sed fatis alter promissus Achilles
Expectandus erat, Franco qui mœnia marte
Verteret, & captæ dominos imponeret vrbi.
Illius aduentu, centenis dissit æther
Fulminibus, cauáque horrificis flammantia bombis
Æra tonant, simul ingenti labefacta fragore
Mœnia, & euersæ fumant à culmine turres:
Iuliáque immensis hiscit patefacta ruinis.
Ergo extrema intus pallentibus, ocyûs vrbe
Cedere, supplicibúsque fidem stat poscere dextris
Gallorum: tanti fuerint solatia victis
Victores, magnóque decus succumbere Regi.
Fortunate senex, sero cui contigit æuo
Tantus honor, veterésque nouis attexere lauros,
Nulla tuis vnquam serpent obliuia factis:
Carmina te vatum, te postera laudibus ætas
Efferet, aut Fabiis aut æquatura Camillis.
Viue diu fœlix, sic non inuiderit olim
Hectora vel Teucris, vel Nestora Gallus Achiuis.

Idem.

IOANN. SIRMONDI
NATALIS REGIVS.

CINGE triumphali victricia tempora lauru,
Gallia, gemmatóque pedem subnecte cothurno;
Et Superûm patrio cultu venerata parentem
Festa coronatas fer munera ritè per aras.
Ecce bis octoni metas tibi deserit anni
Vitales Domini primùm venientis in auras
Conscia lux; totum lux expectata per annum;
Lux semper niueis meritò signanda lapillis.
Scilicet illa tuæ plus contulit vna saluti,
Quàm tibi quæ cœlo fractos vltore Britannos
Æterno patrij discluſit limite ponti;
Et quæ post domitas Martelli robore, mundi
Exuuiis grauidas, examina barbara, turmas
Turonicis olim fulsit lætissima campis.
Quid fortunati repetam felicia partus
Omina, quæ certo firmauit Iuppiter auctor
Euentu bonus, & læto sors prospera fato?
Non mihi, si Pindi totas indulgeat vndas
Cynthius, hoc quantùm se pignore Sequana pulcher
Extulerit, memorare queam: sed nulla silentem
Laus sequitur vatem. Iuuat hinc, iuuat ire per ipsas
Principis à primo repetitas tempore cunas;
Quáque licet, festam cantu, plausúque sonoro,
Et versu celebrare diem. Vos candida, ciues,
Pectora, vos animis omnes, linguísque fauete,
Quos patriæ communis amor communibus ipsi

Deuinxit domitos studiis. Discrimine longo
Fessa diu strictos ægrè compresserat enses
Ipsa sibi dubiis certans Discordia votis.
Et iam bella quidem, sed nondum bellica versis
Semina torpebant animis, iussúsque quietem
Discere desuetas indignabatur habenas,
Ore fremens Mauors tumido: ceu prælia venti
Cùm posuêre, suus motis tamen impetus vndis
Durat adhuc, tacitóque remugit murmure pontus.
Nec semel elusas renouans feralibus ausis
Insidias cæci dedit omina læua furoris.
Sed vigil, & partes Heros intentus in omnes
Plurima conantem, tentantem plurima frustra
Imperio latè simul, & virtute premebat.
Iámque adeò belli quæ noxia vota foueret
Vnica restabat diri spes conscia damni,
Cœlibis, & vacuâ dudum regnantis in aula
Mors domini, nutánsque incerto regia fulcro.
At postquam thalamis sociata iugalibus vxor
Hæredem dedit, & dias in luminis auras,
Qui sceptri fundaret opes LODOICVS *auiti*
Prodiit; extemplò positâ conterritus hastâ
Fugit, & inuisum Geticis caput abdidit aruis
Bellipotens: socias vrgens furor impius iras
It comes, & duris constricta licentia vinclis,
Et prædæ damnatus amor. Quibus aurea summi
Pax soboles Iouis, & diros exosa tumultus
Blanda quies, pietásque supremi conscia mundi
Successit: sequitur votis concordibus vni
Coniurata fides domino, cultúsque, decórque,

Externósque sibi poscens fors læta triumphos.
Quis nunc Herculeas, priscæ miracula gentis,
Conferat his cunas? Geminos vix editus angues
Elisit dextrâ puer, immissósque repressit.
At quanto plus laudis habet stabilita labantis
Imperij solo nascentis nomine moles?
Iussáque regnatis tot monstra recedere terris?
Quæ tamen infido nuper reuocata tumultu
Extulerant rauco malè faustum murmure signum.
Vnde animis versi proceres, & pectora vulgi.
Sensit, & infesti causas, ac semina belli
Vindice compressit ferro par grandibus actis,
Nec iam Patre minor iuuenis: mala germina qualis
Agricola à tenerâ durus radice reuellit,
Et messi nocitura secat: fulcire ruentem
Iussa manus patriam, & diros compescere motus,
Gliscentem magis atque magis, damnóque sequaci
Grassantem modico restinxit sanguine flammam;
Inque vnâ innumeras retudit ceruice cateruas.
Quid sibi venturos non hinc promittat in annos,
Qui iam digna viro peragit puer? Adspice quanto
Robore maturus surgat! non certius alter
Sulphureo impulsam dissplodit turbine glandem,
Perniciem sæuam volucrum; nec fortiùs alter
Ore reluctantem, & fræno parêre negantem
Versat equum, totas illi seu laxat habenas,
Seu gyro breuiore premit. Non obuius illi
Quisquam eat, & sumptis impune occurrat in armis,
Integra cùm validos ætas durauerit artus.
Hoc infidis Arabs, hoc Lunæ sentiet olim

Arbiter Eoæ populus, cùm Martia totis
Viribus insurgens promissas Gallia sedes
Auspicibus repetet Superis. Mirabitur oris
Formosi decus, & victricis fulmina dextræ
Ipsa suum confessa minorem Tethis Achillem.
Et famulas vltrò substernens Bosphorus vndas
Agnoscet dominum; totóque applaudet eunti
Limite Bistonios Solyme auersata tyrannos.
Quid ventura loquor? Tibi, Dijs, LODOICE, secundis,
Ecce triumphatæ siluas iam tondet Idumes
Pellæas capiti renouans Victoria palmas;
Et Luparæ Pharius properat seruire Canopus.
Cerno acies, fractósque tuâ sub cuspide Reges,
Et latè hostili stagnantes sanguine campos.
Sed negat insolitis æquas sermonibus aures
Natalis præses lucis, cui nulla cruore
Ara fluit, Genius: Nos cornua rauca, tubásque
Mutemus cytharæ numeris, placidóque feramus
Vota Deo. Roseo quæ nunc iubar exerit ortu,
Multiplici remeans anni per tempora gyro
Extendat Pyliæ domino lux fata senectæ.
Non Auster, pluuio grauidus non turbine nimbus,
Aut tempestiui nociturum frigus Iacchi
Muneribus, reducis contristet festa diei
Otia; sed nitido Titan decurrat Olympo
Purior, & dominæ fausto de vertice Libræ
Aurea pacatis diffundat secula Gallis.

EIVSDEM
INDOLES REGIA.

SAXONIDVM genus heroum, Regúmque propago,
MAVRICI, ſacro virtus cui murice fulgens
Attollit titulos, non indiga laudis, auitos,
Et Vaticanæ ſpondet decora alta tiaræ;
Quæ fremitu nuper te gens excepit ouanti,
Diuinas animi dotes mirata, decúſque
Stirpis, & eximium formæ præſtantis honorem,
Hæc eadem, quoſcunque pater Neptunus vtrinque
Alluit, extremi populos ſub cardine mundi,
Inuictus domuit quondam, vel terruit armis.
Nunc etiam priſcos quamuis oblita triumphos
Limitis ingentem primi contraxerit orbem,
Non tamen aduerſo faſces ſubmittere fato
Suſtinet: infeſtis ruat in nos vndique ſignis
Quicquid habet duro Mars formidabile bello;
Stabimus, & totas mundi eluctabimur iras.
Vt medio quondam rupes annoſa profundo,
Quam Notus, & raucus Boreas euerberat alis,
Aſſultúque fremens circumtonat vnda minaci:
Illa ſolo fixis latè radicibus hærens
Alta repercuſſas iaculatur ad aſtra procellas.
Magna loquor, ſed certa fides. His ſubſtitit olim
Finibus euerſi prædo ferus Attila mundi:
Et populos Agarena diu bacchata per omnes
Non aliis hæſit tandem victoria campis.

Sed quid opus veteris monumenta retexere ſæcli?
Ille Aſiæ, Libyæque tremor, ſpes gentis Iberæ
Carolus, hîc vltrà nimiùm tendentibus armis
Ingemuit poſitas Regni ſub limine metas.
Hinc Celtis Europa memor debere fatetur
Quòd non ſerua iacet. Nec iam, ſi pulſet eodem
Turbine ſors trepidum, Furiis vrgentibus, orbem,
Roboris, antiquæ, poſt tot diſcrimina, genti,
Aut animi minùs eſſe putes. Tu denſa colonis
Oppida, tu refluis vndantes ciuibus vrbes,
Quà Ligeris vaſtum cornu ſecat vbere Regnum,
Vidiſti nuper veniens. Sunt prodiga vitæ
Pectora, cùm lituí poſcunt, ſunt præuia lethi
Vulnera ſpargentes dextræ. Sed maxima quanquam,
Quanquam fœta viris, partíſque ſuperba trophæis
Gallia ſe latas circùm diffundat in oras,
Nil tamen illa ſuo (cineres audite paterni)
Maius habet Domino; cui vix de matre cadenti
Adſtitit antiquæ Genius tutela coronæ,
Et veterum dotes vàrias transfudit auorum,
Fauſtáque concuſſo plaudens dedit omina ſceptro.
Hinc pietas, hinc alma fides, hinc neſcia fuci
Relligio, vitæque tenor ſincerus, & æqui
In titulos iam ductus amor, probitáſque, pudórque,
Naſcenti iurata cohors, ſurgentia magnæ
Indolis attonito properant miracula mundò,
Et fortunati ſacrant primordia Regni.
Hinc ſolidi vis iudicij matura, ſagáxque
Ingenij rerum causas intrantis acumen,
Cunáque primæuis gliſcens prudentia luſtris,

Neſtoreæ laudem minuunt, famámque ſenectæ.
Vix habitura fidem refero; ſed & inclyta primis
Fontibus admiſſas impellunt flumina cymbas;
Et feſtinatos arbor generoſa corymbos
Explicat; ignauíque diu malè cogitur æui
Ferre moras ſummo Regum ſtirps æmula cœlo.
Sic paruum Natura Iouem ſublimibus orſis
Annorum lentos ſtupuit præuertere gyros,
Et patrium crudis pondus torquere lacertis.
Sic mirata ſuum quondam vaga Delos alumnum,
Grandia fundenti mediis oracula cunis
Æternis poſuit manſuras ſedibus aras,
Et circumfuſo fixit ſtata littora ponto.
Vix quoque vix primas teneris vagitibus auras
Pulſabat ſolio reptans LODOICVS *auito,*
Cùm ſibi iam lituos, & ouanti tympana plauſu
Poſceret, ac paruâ molitus prælia dextrâ
Exiles patriis artus componeret armis.
Haud aliter vaſto Libyæ ſquallentis in antro
Natiuas primis acuens leo dentibus iras
Oblatis exultat hians aſſurgere prædis,
Aſſueſcítque ſibi frendens. Nec adultior ætas
Mollia degenerem deflexit ad otia mentem.
Non illi vigiles extendens alea noctes
Anxia iam dubio ſuſpendit vota fritillo;
Feſtáque producit miſtis conuiuia ludis
Incumbens populo luxus; pigróve reſoluit
Eneruem torpore ſopor: ſed viuida rebus
Intento primas verſat ſolertia curas,
Sublimémque animum victuris præſtruit actis.

Nunc Regni componit opes; nunc ſupplicis aurem
Partitur turbæ precibus; nunc cautus ab altâ
Explorat ſpeculâ, quid fraus inimica, quid iram.
Vis confeſſa parat; veluti qui peruigil omnes
Puppe ſedens ventos, impendentéſque procellas
Nubibus in mediis notat, eluditque magiſtrâ
Arte gubernator. Non illum torrida Cancri
Sidera, non gelidæ marcentia frigora brumæ,
Non imbres Hyadum, non imbribus aucta morantur
Flumina, non venti, aut montes; quocunque vocat res,
Aduolat; & lætas ſubitò Pax explicat alas,
Diráque ſanguineum ponit Diſcordia ferrum,
Ac Luparæ ſancitur honos. Vos Pictonés agri
Scitis, & Armorico tellus contermina ponto;
Quæ reuocare nefas animis, & dicere longum eſt.
Hæc illi grauium ratio, mercéſque laborum.
Sin iuuat emeritis mentem ſubducere curis,
Et laxare diem; famam ſpondentibus olim
Artibus, & dociles ſtudiis formantibus annos
Exercet vacuas alacri vigor igneus horas.
Interdum cœli ſpatio gauiſus aperto
Alituum trepidas agitat per inania turmas;
Aut virides Dryadum ſaltus, latebráſque ferarum
Luſtrat, & annoſi relegens veſtigia cerui
Vrget agens, inſtátque manu. Dant confraga lonè
Arua ſonum, fremitúque canum, plauſúque ſequentum,
Et gemit obſeſſas claudi ſibi Delia ſiluas.
At ſeris ſimilem naſci potuiſſe ſub annis
Narciſſo mirata ſuo, ſibi plaudit, & imo
Pectore conceptas Echo fouet abdita flammas.

Interdum ſalebras nemorum pertæſus, Iberi
Cornipedis fractas in puluere temperat iras.
Qualiter alternæ ſortitus tempora vitæ
Cyllaron Oebaliâ Pollux verſabat arenâ;
Aut bouis inſignem ſpecie venturus Eoo
Pellæus ſolio notis flectebat habenis.
Nec rarò poſitis ſimulatas mœnibus arces
Cingit, & aduerſis circùm diſtincta cateruis
Bellonæ ſimulacra ciet, metuendáque Nilo
Prælia ſub ficti meditatur imagine Martis.
Quis, Superi, cùm fata dabunt, quis talibus olim
Auſpiciis non ſurget honos? quoſcunque per hoſtes
Laudis amor, primíſque decus iuuenile ſub armis
Egerit, aut pietas potior; comes ibit ouanti
Vndique quæſitas cumulans victoria palmas;
Et genitor cœlo exultans applaudet ab alto.
Intereâ placidâ creſcens adoleſcit in aulâ,
Et virides glaucæ myrtos innectit oliuæ
Mundi iuſtus amor, Iuuenis; quo pulcrius vſquam
Nil videt è medio Titan ſublimis Olympo.
Aſpice ſidereis vibrantia lumina flammis,
Et facilem, ac gemino dignam diademate frontem.
Jt circùm Decor, & ſemen teſtata Deorum
Maieſtas, primíſque comes Charis addita cunis;
Iunoníque ſuas acuens Cytherea ſagittas.
Talem ſi Graiis Helene celebrata Mycenis
Vixiſſet thalami ſocium ſortita maritum,
Nunquam Dardaniis patuiſſet adultera flammis.
Et Priami ſero tranſmiſſa nepotibus æuo
Laomedontæa ſtarent iam mœnia Troiæ.

Hinc animi præſtantis opes, formæque decorem
Admirantis amor populi, cultúque perennis
Obſequij ſancita fides, tutiſſima iuſti
Cuſtos imperij; cui non certauerit alto
Conſinis moles cœlo, toruíſque ſatelles
Nutibus humani dirimens conſortia ritus;
Munimenta feris olim quæſita tyrannis.
Larga quidem Cyrrhæ præconibus area; ſed me
Alta procelloſis pandentem carbaſa ventis
Exiguam tutâ puppim ſubducere ripâ
Admonet immenſi titubans fiducia cœpti.
Oceanum trepidâ ſatis eſt libaſſe carinâ.
Tempus erit, cùm Pierio meditatus in antro
Ingens, & tardis opus indelebile ſæclis,
Inuicti laudes Domini, ſublimiáque acta
Mœoniis referam numeris: dicam horrida campos
Bella per Odryſios Superis renouata ſecundis,
Et fractas acies, & verſus turribus vrbes,
Iuſſáque Lunatis ſuccedere Lilia ſceptris;
Quóſque parant alios victori fata triumphos;
Fata priùs dubiis, nunc certis prodita vatum
Carminibus, lætíſque dari properantia Gallis.
Te quoque, MAVRICI, *longo quem ſtemmate Regi*
Sanguis & arcano concordis fœdere mentis,
Fraternos Luparæ gaudens ſociare hymenæos
Iungit amor; noſtri te non poſtrema laboris
(Si quid id eſt, Phœbíque ſacros non ſpernis alumnos)
Pars manet, & patrij longè plaudentibus vndis
Eridani, varias hinc dilata fama per oras,
Quas ambit gemino Doris circumflua mundo.

IOANN. SIRMONDVS.

EIVSDEM DE LAVDIBVS LVDOVICI XIII. GALL. ET NAVARR. REGIS. PANEGYRICVS PRIMVS.

SIC erat in fatis: magni de ſtirpe vetuſtâ
Principis, æternis Superûm quem cœtibus olim
Intulit, & votis Pietas aríſque ſacrauit,
Venturum ſeris tandem labentibus annis,
Qui ſceptri, ſacríque ſimul cognominis hæres,
Antè diem Luparæ patriis admotus habenis
Vnanimi procerum ſtudio, plebíſque fauore
Lubrica firmaret gemini cunabula Regni:
Hinc populis æquas, pacis munimina, leges
Conderet, & duris compeſcens crimina vinclis
Damnaret Stygio ſcelerum genus omne barathro,
Bellorúmque minas premeret; mox prima iuuentæ
Cùm ſpatia ingreſſum generoſæ conſcius ardor
Indolis, ac ſtimulos Pietas ſub pectore vertens
Grandibus & cælo dignis accingeret auſis,
Tum fidei vindex & relligionis auitæ,
Auguriis, monitíſque ſimul cœleſtibus actus,
Nequicquam trepido Furiis luctantibus Orco,
Aſſereret patrias veris cultoribus aras,
Inque ſuum Superos decus, ac delubra referret.

Scilicet hæc priſci iampridem oracula vates
Ediderant, nulli ſatis intellecta priorum,
Succeſſus habitura ſuos, cùm poſceret vni
Nota Deo, rerum ſeries arcana latentum.
Nunc verò lentis ne ſpes langueſceret annis,
Atque moras diffiſa ſibi damnaret inertes,
Ecce patet longùm optato, longúmque petito
Euentu ſancita fides. Tu Gallia vati
Plaude tuo, laurique fauens innecte coronam.
Haud ignota loquor; certis cognoſcere ſignis
Promiſſum datur Heroëm, coramque tueri
Auctorem tantorum operum: nec longa vetuſtas
Excutienda ſitu multo; quæ vidimus omnes,
Vnus erit meminiſſe labor, ſortémque beatam
Ad faſtos reuocare ſuos. Vix merſus acerbo
Funere mortalis complerat tempora fati
HENRICVS *pater, in vacuum cùm proximus infert*
Se gnatus ſolium, delatáque frœna capeſſit
Ore puer magnum referens animóque parentem,
Inque virum cunis ſurgens LODOICVS *ab ipſis.*
Qualis vbi pelago currum demiſit Ibero,
Et nocti feſſus Titan conceſſit opacæ;
Emicat, & denſas mundi rumpente tenebras
Orbe nitens, reliquis dux imperat Heſperus aſtris.
Nec mora; cùm variis actas terroribus vrbes
Vis animi nulli docilis concedere ſorti,
Et patriis iam tum virtus non degener actis
Erigit, & certam trepidis ſpem mentibus addit.
Hinc ſceptri renouatus honos; hinc Gallia priſcum
In decus euinctam duplici diademate frontem

Attollit,

Attollit, veterémque sibi vix sentit abesse
In puero rectore ducem. Quin fœderis icti
Cùm bello gens clara fidem, pactúmque reposcens
Auxilium, surgentis opem imploraret amicam
Principis, & rebus sociale iuuamen in arctis:
(Si qua fides veri) raptim delecta bicornem
Irrumpit Rhenum manus, & radiantia latè
Hinc inde ostentans peregrinis Lilia terris,
Iuliacos rapido velut incita turbine muros
Disiicit, & portis socios immittit apertis.
Incola victores gaudet dominósque fateri
Quos leges pariter, victriciáque arma dedêre,
Atque biceps versis cedit Iouis armiger alis.
Interea patrias (vt mos poscebat) ad aras
Æthereo sacri nimbo perfusus oliui,
Natiuas animi dotes cœlestibus auget
Dotibus exsuperans hominem, sentítque sub imo
Pectore mortalis decrescere semina labis,
Se melior, propiórque Deo? Quis pignore tali
Non tenero virtutis honos accessit alumno?
Quicquid habet, quo se iuuenis componat auorum
Laudibus, auspiciis iam tum puer hausit ab illis.
Hinc cœlo pietas venerantem numina mentem
Attollens, primísque tenax inoleuit ab annis
Extremæ mansura fides in tempora vitæ,
Mutaríque negans prisci reuerentia cultus,
Quem posuit sanctis antiqua parentibus ætas:
Et castus pudor, & casti comes alma pudoris
Simplicitas, vitæque tenor sincerus, & ipsum
Ad natalitiæ reuocans examina libræ

Iuris amor ſceptrum, rectique innata cupido;
Et conſtans animi robur, prudénſque futuri,
Ac dubiis acuens mentem ſolertia rebus.
His ducibus magni veſtigia nota parentis,
Matre viam monſtrante, noui ſub limine Regni
Ingreſſus, placidâ Gallos ditione tenebat,
Et titulis in ſpem patriæ creſcebat auitis.
Ecce autem magnâ procerum turbante cauernâ,
Ingruit aduerſis tempeſtas horrida ventis,
Inuoluens ſubitâ campóſque vrbéſque procellâ.
Iámque ſuo inſcribens leges, ac iura furori
Ibat in arma ſcelus, prædæque cupidine gliſcens
In vitium lentâ populos contage trahebat.
Cùm geminum plenâ claudens trieteride luſtrum
Auguſtæ ſolium Themidis, multáque penates
Relligione ſacros ritu conſcendit auito
Eximiâ iuuenis formâ, & pubentibus annis.
Inde mares animos, & adultæ robora mentis
Hinc populo, hinc toto circùm plaudente Senatu,
Imperij nimiùm laxis componit habenis,
Et patrium molitur onus. Tum protinùs omnem
Vindicis auſpicio domini compreſſa furorem
Seditio poſuit, conceptáſque exuit iras,
Diráque ſanguineum preſſit Diſcordia ferrum.
Sic ponto dum regnat hyems, ac plurimus illi
Incubuit nimbis ſuccinctus & imbribus Auſter,
Et medio certat diſcors natura profundo;
Æquoreis ſi fortè pater ſe ſuſtulit antris
Neptunus, currúque ſecans freta mota ſonanti
Increpuit ventos minitans; venerata tridentis

Imperium cadit vnda, silet sine nubibus aër,
Læta redit pelago facies, vndantia blandis
Marmora crispantur Zephyris, sternique refusas
Nauta sibi miratur aquas. Nec segnior exin
Degeneres Heros traduxit ad aulica curas
Qtia, torpenti passus marcêre veterno
Maturos sceptris annos: sed fortibus altam
Instruit exemplis mentem, totúmque capaci
Pectore complexus Regnum, quid postulet vsus,
Quid ratio, quid mos, tenero meditatur ab æuo,
Haud magnis cessurus auis. Hinc publica gentis
Damna putans, sortémque animo miseratus iniquam,
Quà licet, afflicti rebus succurrere lapsis
Ingreditur regni, & patriam fulcire ruentem.
Ergò Deum priùs, hinc terno mox ordine lectos,
Concilium solenne, viros de more parentum
Aduocat, inque operis partem, laudísque volentes
Adsciscit populos, & Regem diuidit vnum
Omnibus: extemplò totis informia membris
Vlcera, Paoniæ vix admissura petitam
Artis opem patuêre: dolor, tum mixta dolori
Ira subit cunctos, stimulísque instigat acerbis
Ferre manum, pestémque igni expugnare sequacem.
Conueniunt, sanctísque vouent suffragia verbis
In Regis decus, & Regni commune leuamen.
Et ni quæ steterat primùm (seu numinis ira,
Seu leuitas sic nostra tulit) mens versa fuisset;
Progressu surgebat opus; poterátque malorum
Illa eadem finem, quæ causam fecerat antè,
Gens feciſſe sibi: sed enim sua quisque secutus

Commoda, dum patriæ oblitus sibi consulit vni,
Nec patitur propriæ quicquam decedere sorti,
In partes studiis abiit discordibus ipso
Turba sibi numero, cæcisque affectibus obstans,
Spésque hominum cassas successu elusit inani.
At motus inter tantos, diuersáque causis
Vota suis, domino constans quem debet amorem
Præstitit æqualem populus, certámque per ipsos
Ire fidem gladios, & ad omnes flexile nutus
Obsequium. Seu iura ferat, seu bella lacessat
Acrior, huic proceres soli, huic facunda laborat
Curia, & huic studiis certatim insudat auaris
Infima pars; illum pariter, iuuenésque, senésque,
Cúmque viris matres, innuptáque turba, puellæ,
Suspiciúntque, colúntque omnes; vnique precantur
Quæ sibi, quæque suis optent, si facta potestas
Optandi quæ summa velint. Nec finibus illis
Prouida solliciti se cura coërcet amoris.
In thalamos cœlo dudum plaudente paratos
Impellunt, instántque alacres, vrgéntque frequentes,
Consiliisque preces addunt, similémque parenti
Progeniem celerare monent, qua fausta tenore
Sceptra pari quondam regat, atque attollat eundo.
Vnde decus, Regúmque genus, seriésque nepotum
Indigetes auctura Deos. Sic veris amœni
Tempore, si rigui se sustulit vbere septi
Flos tener, & raro per agros spectabilis ortu;
Hunc priùs infestæ surgant quàm sidera brumæ,
Aut imbri Boreas, vel iniquo Sirius æstu
Spem minuat, patrios virgo diffundit in hortos.

Admirans, lentáque iubet propagine denſis,
Quà terræ ſe laxat amor, ſoboleſcere culmis.
Nec populi feſtina quidem, ſed iuſta morari
Gaudia ſuſtinuit, vel ſpes extendere ſortem
In dubiam longas; iam ſe, iam ſuſcitat vltrò
Iunoni, tædáſque acuens ſub corde maritas
Gaudet inexpertam fibris admittere flammam,
Et Veneris primos impendere gentibus ignes.
Ergò legitimi iuuenis conſortia lecti
Connubio ſancit gemino, quo Gallia pulcræ
Iungitur Heſperiæ, veteréſque oblita querelas
Publica cognatis ſociat commercia terris.
Audiit, & toti dominum, legémque daturos
Auroræ thalamos plauſu celebrauit ouanti
Roma parens, canáque caput præcinctus oliuâ
Tybris, & æternæ Genius qui præſidet arci,
Quà patet, ad ſummum via quæ perducit Olympum.
At ferus hæc patrio longè Gradiuus ab Hæmo
Senſit, & hinc populis manſuram ſurgere pacem
Indoluit frendens, concuſſáque ſuſtulit arma:
Arma furor, furor arma, Dei mentitus amorem,
Et populi, rurſum præceps rapit, aruáque paſſim,
Paſſim vrbes ferro ſinuans populatur & igni.
Non aliter lacrimis Hyadum pluuialibus auctus
Nubiferi prono montis de culmine valles
Deſuper, & ſegetes, iunctíſque mapalia ſiluis,
In mare præcipiti ſecum rotat agmine torrens:
Transfuga deſertos retrò deſpectat in agros
Paſtor, & attoniti lugent ſua damna coloni,
Eléntoque ſibi ereptas Dryades cum ſedibus vmbras.

Et iam ſæua odiis acuebat prælia miles,
Exercens auidas damnis communibus iras;
Cùm procul occiduis noua lux emerſit ab oris,
Erexítque hominum, melioris ad omina fati
Ancipiti trepidas rerum diſcrimine mentes:
Nec ſterilis ſuſpenſa diu ſpes vota fefellit.
Vix ab Aquitanis quà ſe diſterminat oris,
Confiníque latus prætendit Iberia colli,
Extulerat roſeum virgo pulcherrima vultum;
Mira canam, ſed vera; animis veſana repentè
Et prædæ rabies, & ferri excuſſa cupido eſt.
Pax ſubit, & poſito mitis Bellona flagello
Cecropiis myrtos Paphias innectit oliuis.
Quinetiam belli Mauors pater ipſe, nitentem
Vt primùm ad ſponſæ formam, cultúmque, decúſque
Lumina deflexit, conceptos mente furores
Excutit arridens blandùm, flammámque medullis
Combibit, oblitæ qualem ſub Cypridis olim
Imperio, priſcis non ſenſerat anteà ſeclis.
Ergò nouo pectus verſum ſuccenſus amore,
Quos ferro priùs, & flammâ turbare parabat
Regales properat feſtis celebrare choreis
Cum Iunone thoros, placidæque accedere pompæ
Geſtit, & eximio præſtantem corpore nuptam
Auƈturo Regum ſeriem componere lecto.
Huic enſes, huic tela fremens, huic cædis amorem
Frangit, & emeritas odiis furialibus iras:
Puluere quin mixto fœdos, & ſanguine crines
Sollicitâ diſponit acu, gaudétque minaces
Terrificis oculos flammis, & torua furore

Ora truci, ad ſpeculum ſtudio mollire plãcendi.
Ridet & innocuas acuens in cote ſagittas
Adiicit antiquis fœdus ciuile triumphis,
Ac Pœi blanditur Amor: Pax aurea lætos
Inuehitur per agros, feſtóque per oppida curru.
Quo fert cúmque pedem, grauido ſe Copia cornu
Fundit, & omniferi, quas Sol diſcrimĩnat ortu,
Confuſis anni vicibus, ver floribus arua
Pingit, & in ſtipulam lactentes euocat herbas
Alma Ceres, pleníſque adoleſcit pampinus vuis.
Sola gelu, & tardis damnatam noctibus Vrſam
Seruat hyems, lætíſque ſuos opponere nimbos
Lucibus, & ægræ timuit velamina bruma.
Has inter ridentis opes, & gaudia mundi,
Iam primos experta thoros, iam gratior ipſo
Libati floris damno, vultúque ſerenans
Æthera, formoſi comes & decus ANNA *mariti*
Agmine procedit lento; mirantur euntem
Attoniti circùm populi, paſſimque per vrbes
In caput, intranti, violáſque, roſáſque, crocúmque,
Et tandem tunc primùm auſos ridere hyacinthos
Deſuper, ac plenis inuerguntLilia palmis,
Et reſono laudes tollunt ad ſidera cantu;
Eximias laudes, & magnum in nomen ituras.
Hinc ſtirpis decus ingentis, cui plurima virtus,
Virtutíſque comes, ventis fortuna ſecundis
Imperium latè varias extendit in oras.
Hinc vel quas natura dedit, vel firmior annis
Adſciuit ratio, vel cultu protulit vſus,
Virtutes: veræ in primis pietatis amorem,

Nunc Regni componit opes; nunc ſupplicis aurem
Partitur turbæ precibus; nunc cautus ab altâ
Explorat ſpeculâ, quid fraus inimica, quid iram.
Vis confeſſa paret; veluti qui peruigil omnes
Puppe ſedens ventos, impendentéſque procellas
Nubibus in mediis notat, eluditque magiſtrâ
Arte gubernator. Non illum torrida Cancri
Sidera, non gelidæ marcentia frigora brumæ,
Non imbres Hyadum, non imbribus aucta morantur
Flumina, non venti, aut montes; quocunque vocat res,
Aduolat; & lætas ſubitò Pax explicat alas,
Diráque ſanguineum ponit Diſcordia ferrum,
Ac Luparæ ſancitur honos. Vos Pictonês agri
Scitis, & Armorico tellus contermina ponto;
Quæ reuocare nefas animis, & dicere longum eſt.
Hæc illi grauium ratio, mercéſque laborum.
Sin iuuat emeritis mentem ſubducere curis,
Et laxare diem; famam ſpondentibus olim
Artibus, & dociles ſtudiis formantibus annos
Exercet vacuas alacri vigor igneus horas.
Interdum cœli ſpatio gauiſus aperto
Alituum trepidas agitat per inania turmas;
Aut virides Dryadum ſaltus, latebráſque ferarum
Luſtrat, & annoſi relegens veſtigia cerui
Vrget agens, inſtátque manu. Dant confraga lonè
Arua ſonum, fremitúque canum, plauſúque ſequentum,
Et gemit obſeſſas claudi ſibi Delia ſiluas.
At ſeris ſimilem naſci potuiſſe ſub annis
Narciſſo mirata ſuo, ſibi plaudit, & imo
Pectore conceptas Echo fouet abdita flammas.

Interdum ſalebras nemorum pertæſus, Iberi
Cornipedis fractas in puluere temperat iras.
Qualiter alternæ ſortitus tempora vitæ
Cyllaron Oebaliâ Pollux verſabat arenâ;
Aut bouis inſignem ſpecie venturus Eoo
Pellæus ſolio notis flectebat habenis.
Nec rarò poſitis ſimulatas mœnibus arces
Cingit, & aduerſis circùm diſtincta cateruis
Bellonæ ſimulacra ciet, metuendáque Nilo
Prælia ſub ficti meditatur imagine Martis.
Quis, Superi, cùm fata dabunt, quis talibus olim
Auſpiciis non ſurget honos? quoſcunque per hoſtes
Laudis amor, primíſque decus iuuenile ſub armis
Egerit, aut pietas potior; comes ibit ouanti
Vndique quæſitas cumulans victoria palmas;
Et genitor cœlo exultans applaudet ab alto.
Intereâ placidâ creſcens adoleſcit in aulâ,
Et virides glaucæ myrtos innectit oliuæ
Mundi iuſtus amor, Iuuenis; quo pulcrius vſquam
Nil videt è medio Titan ſublimis Olympo.
Aſpice ſidereis vibrantia lumina flammis,
Et facilem, ac gemino dignam diademate frontem.
Jt circùm Decor, & ſemen teſtata Deorum
Maieſtas, primíſque comes Charis addita cunis;
Iunoníque ſuas acuens Cytherea ſagittas.
Talem ſi Graiis Helene celebrata Mycenis
Vixiſſet thalami ſocium ſortita maritum,
Nunquam Dardanius patuiſſet adultera flammis.
Et Priami ſero tranſmiſſa nepotibus æuo
Laomedontæa ſtarent iam mœnia Troiæ.

Hinc animi præstantis opes, formæque decorem
Admirantis amor populi, cultúque perennis
Obsequij sancita fides, tutissima iusti
Custos imperij; cui non certauerit alto
Confinis moles cælo, toruíque satelles
Nutibus humani dirimens consortia ritus;
Munimenta feris olim quæsita tyrannis.
Larga quidem Cyrrhæ præconibus area; sed me
Alta procellosis pandentem carbasa ventis
Exiguam tutâ puppim subducere ripâ
Admonet immensi titubans fiducia cœpti.
Oceanum trepidâ satis est libasse carinâ.
Tempus erit, cùm Pierio meditatus in antro
Ingens, & tardis opus indelebile sæclis,
Inuicti laudes Domini, sublimiáque acta
Mœoniis referam numeris: dicam horrida campis
Bella per Odrysios Superis renouata secundis,
Et fractas acies, & versas turribus vrbes,
Iussáque Lunatis succedere Lilia sceptris;
Quósque parant alios victori fata triumphos;
Fata priùs dubiis, nunc certis prodita vatum
Carminibus, latíque dari properantia Gallis.
Te quoque, MAVRICI, *longo quem stemmate Regi*
Sanguis & arcano concordis fœdere mentis,
Fraternos Luparæ gaudens sociare hymenæos
Iungit amor; nostri te non postrema laboris
(Si quid id est, Phœbíque sacros non spernis alumnos)
Pars manet, & patrij longè plaudentibus vndis
Eridani, varias hinc dicta fama per oras,
Quas ambit gemino Doris circumflua mundo.

IOANN. SIRMONDVS.

EIVSDEM DE LAVDIBVS LVDOVICI XIII. GALL. ET NAVARR. REGIS.

PANEGYRICVS PRIMVS.

SIC erat in fatis: magni de ſtirpe vetuſtâ
Principis, æternis Superûm quem cœtibus olim
Intulit, & votis Pietas ariſque ſacrauit,
Venturum ſeris tandem labentibus annis,
Qui ſceptri, ſacríque ſimul cognominis hæres,
Antè diem Luparæ patriis admotus habenis
Vnanimi procerum ſtudio, plebíſque fauore
Lubrica firmaret gemini cunabula Regni:
Hinc populis æquas, pacis munimina, leges
Conderet, & duris compeſcens crimina vinclis
Damnaret Stygio ſcelerum genus omne barathro,
Bellorúmque minas premeret; mox prima iuuentæ
Cùm ſpatia ingreſſum generoſæ conſcius ardor
Indolis, ac ſtimulos Pietas ſub pectore vertens
Grandibus & cælo dignis accingeret auſis,
Tum fidei vindex & relligionis auitæ,
Auguriis, monitíſque ſimul cœleſtibus actus,
Nequicquam trepido Furiis luctantibus Orco,
Aſſereret patrias veris cultoribus aras,
Inque ſuum Superos decus, ac delubra referret.

Attollit, veterémque sibi vix sentit abesse
In puero rectore ducem. Quin fœderis icti
Cùm bello gens clara fidem, pactúmque reposcens
Auxilium, surgentis opem imploraret amicam
Principis, & rebus sociale iuuamen in arctis;
(Si qua fides veri) raptim delecta bicornem
Irrumpit Rhenum manus, & radiantia latè
Hinc inde ostentans peregrinis Lilia terris,
Iuliacos rapido velut incita turbine muros
Disiicit, & portis socios immittit apertis.
Incola victores gaudet dominósque fateri
Quos leges pariter, victriciáque arma dedêre,
Atque biceps versis cedit Iouis armiger alis.
Interea patrias (vt mos poscebat) ad aras
Æthereo sacri nimbo perfusus oliui,
Natiuas animi dotes cœlestibus auget
Dotibus exsuperans hominem, sentítque sub imo
Pectore mortalis decrescere semina labis,
Se melior, propiórque Deo? Quis pignore tali
Non tenero virtutis honos accessit alumno?
Quicquid habet, quo se iuuenis componat auorum
Laudibus, auspiciis iam tum puer hausit ab illis.
Hinc cœlo pietas venerantem numina mentem
Attollens, primísque tenax inoleuit ab annis
Extremæ mansura fides in tempora vitæ,
Mutaríque negans prisci reuerentia cultus,
Quem posuit sanctis antiqua parentibus ætas:
Et castus pudor, & casti comes alma pudoris
Simplicitas, vitæque tenor sincerus, & ipsum
Ad natalitiæ reuocans examina libræ

Iuris amor ſceptrum, rectíque innata cupido;
Et conſtans animi robur, prudénſque futuri,
Ac dubiis acuens mentem ſolertia rebus.
His ducibus magni veſtigia nota parentis,
Matre viam monſtrante, noui ſub limine Regni
Ingreſſus, placidâ Gallos ditione tenebat,
Et titulus in ſpem patriæ creſcebat auitis.
Ecce autem magnâ procerum turbante caterua,
Ingruit aduerſis tempeſtas horrida ventis,
Inuoluens ſubitâ campóſque vrbéſque procellâ.
Iámque ſuo inſcribens leges, ac iura furori
Ibat in arma ſcelus, prædaque cupidine gliſcens
In vitium lentâ populos contage trahebat.
Cùm geminum plenâ claudens trieteride luſtrum
Auguſtæ ſolium Themidis, multáque penates
Relligione ſacros ritu conſcendit auito
Eximiâ iuuenis formâ, & pubentibus annis.
Inde mares animos, & adultæ robora mentis
Hinc populo, hinc toto circùm plaudente Senatu,
Imperij nimiùm laxis componit habenis,
Et patrium molitur onus. Tum protinùs omnem
Vindicis auſpicio domini compreſſa furorem
Seditio poſuit, conceptáſque exuit iras,
Diráque ſanguineum preſſit Diſcordia ferrum.
Sic ponto dum regnat hyems, ac plurimus illi
Incubuit nimbis ſuccinctus & imbribus Auſter,
Et medio certat diſcors natura profundo;
Æquoreis ſi fortè pater ſe ſuſtulit antris
Neptunus, currúque ſecans freta mota ſonanti
Increpuit ventos minitans; venerata tridentis

Imperium cadit vnda, ſilet ſine nubibus aër,
Læta redit pelago facies, vndantia blandis
Marmora criſpantur Zephyris, ſternique refuſas
Nauta ſibi miratur aquas. Nec ſegnior exin
Degeneres Heros traduxit ad aulica curas
Qtia, torpenti paſſus marcêre veterno
Maturos ſceptris annos: ſed fortibus altam
Inſtruit exemplis mentem, totúmque capaci
Pectore complexus Regnum, quid poſtulet vſus,
Quid ratio, quid mos, tenero meditatur ab æuo,
Haud magnis ceſſurus auis. Hinc publica gentis
Damna putans, ſortémque animo miſeratus iniquam,
Quà licet, afflicti rebus ſuccurrere lapſis
Ingreditur regni, & patriam fulcire ruentem.
Ergò Deum priùs, hinc terno mox ordine lectos,
Concilium ſolenne, viros de more parentum
Aduocat, inque operis partem, laudíſque volentes
Adſciſcit populos, & Regem diuidit vnum
Omnibus: extemplò totis informia membris
Vlcera, Pæoniæ vix admiſſura petitam
Artis opem patuêre: dolor, tum mixta dolori
Ira ſubit cunctos, ſtimulíſque inſtigat acerbis
Ferre manum, peſtémque igni expugnare ſequacem.
Conueniunt, ſanctíſque vouent ſuffragia verbis
In Regis decus, & Regni commune leuamen.
Et ni quæ ſteterat primùm (ſeu numinis ira,
Seu leuitas ſic noſtra tulit) mens verſa fuiſſet;
Progreſſu ſurgebat opus; poterátque malorum
Illa eadem finem, quæ cauſam fecerat antè,
Gens feciſſe ſibi: ſed enim ſua quiſque ſecutus

Commoda, dum patriæ oblitus sibi consulit vni,
Nec patitur propriæ quicquam decedere sorti,
In partes studiis abiit discordibus ipso
Turba sibi numero, cæcisque affectibus obstans,
Spésque hominum cassas successu eluſit inani.
At motus inter tantos, diuersáque causis
Vota suis, domino constans quem debet amorem
Præstitit æqualem populus, certámque per ipsos
Ire fidem gladios, & ad omnes flexile nutus
Obsequium. Seu iura ferat, seu bella lacessat
Acrior, huic proceres soli, huic facunda laborat
Curia, & huic studiis certatim insudat auaris
Infima pars; illum pariter, iuuenésque, senésque,
Cúmque viris matres, innuptáque turba, puellæ,
Suspiciúntque, colúntque omnes; vníque precantur
Quæ sibi, quæque suis optent, si facta potestas
Optandi quæ summa velint. Nec finibus illis
Pronida solliciti se cura coërcet amoris.
In thalamos cœlo dudum plaudente paratos
Impellunt, instántque alacres, vrgéntque frequentes,
Consiliíque preces addunt, similémque parenti
Progeniem celerare monent, qua fausta tenore
Sceptra pari quondam regat, atque attollat eundo.
Vnde decus, Regúmque genus, seriésque nepotum
Indigetes auctura Deos. Sic veris amœni
Tempore, si rigui se sustulit vbere septi
Flos tener, & raro per agros spectabilis ortu;
Hunc priùs infestæ surgant quàm sidera brumæ,
Aut imbri Boreas, vel iniquo Sirius æstu
Spem minuat, patrios virgo diffundit in hortos

Admirans, lentáque iubet propagine denſis,
Quà terræ ſe laxat amor, ſoboleſcere culmis.
Nec populi feſtina quidèm, ſed iuſta morari
Gaudia ſuſtinuit, vel ſpes extendere ſortem
In dubiam longas; iam ſe, iam ſuſcitat vltrò
Iunoni, tædáſque acuens ſub corde maritas
Gaudet inexpertam fibris admittere flammam,
Et Veneris primos impendere gentibus ignes.
Ergò legitimi iuuenis conſortia lecti
Connubio ſancit gemino, quo Gallia pulcræ
Iungitur Heſperiæ, veteréſque oblita querelas
Publica cognatis ſociat commercia terris.
Audiit, & toti dominum, legémque daturos
Auroræ thalamos plauſu celebrauit ouanti
Roma parens, canáque caput præcinctus oliuâ
Tybris, & æternæ Genius qui præſidet arci,
Quà patet, ad ſummum via quæ perducit Olympum.
At ferus hæc patrio longè Gradiuus ab Hæmo
Senſit, & hinc populis manſuram ſurgere pacem
Indoluit frendens, concuſſáque ſuſtulit arma;
Arma furor, furor arma, Dei mentitus amorem,
Et populi, rurſum præceps rapit, aruáque paſſim,
Paſſim vrbes ferro ſinuans populatur & igni.
Non aliter lacrimis Hyadum pluuialibus auctus
Nubiferi prono montis de culmine valles
Deſuper, & ſegetes, iunctiſque mapalia ſiluis,
In mare præcipiti ſecum rotat agmine torrens:
Transfuga deſertos retrò deſpectat in agros
Paſtor, & attoniti lugent ſua damna coloni,
Eléntoque ſibi ereptas Dryades cum ſedibus vmbras.

Et iam ſæua odiis acuebat prælia miles,
Exercens auidas damnis communibus iras;
Cùm procul occiduis noua lux emerſit ab oris,
Erexitque hominum, melioris ad omina fati
Ancipiti trepidas rerum diſcrimine mentes:
Nec ſterilis ſuſpenſa diu ſpes vota fefellit.
Vix ab Aquitanis quà ſe diſterminat oris,
Confiníque latus prætendit Iberia colli,
Extulerat roſeum virgo pulcherrima vultum;
Mira canam, ſed vera; animis veſana repentè
Et prædæ rabies, & ferri excuſſa cupido eſt.
Pax ſubit, & poſito mitis Bellona flagello
Cecropiis myrtos Paphias innectit oliuis.
Quinetiam belli Mauors pater ipſe, nitentem
Vt primùm ad ſponſæ formam, cultúmque, decúſque
Lumina deflexit, conceptos mente furores
Excutit arridens blandùm, flammámque medullis
Combibit, oblitæ qualem ſub Cypridis olim
Imperio, priſcis non ſenſerat anteà ſeclis.
Ergò nouo pectus verſum ſuccenſus amore,
Quos ferro priùs, & flammâ turbare parabat
Regales properat feſtis celebrare choreis
Cum Iunone thoros, placidæque accedere pompæ
Geſtit, & eximio præſtantem corpore nuptam
Aucturo Regum ſeriem componere lecto.
Huic enſes, huic tela fremens, huic cædis amorem
Frangit, & emeritas odiis furialibus iras:
Puluere quin mixto fœdos, & ſanguine crines
Sollicitâ diſponit acu, gaudétque minaces
Terrificis oculos flammis, & torua furore

Ora truci, ad ſpeculum ſtudio mollire placendi.
Ridet & innocuas acuens in cote ſagittas
Adiicit antiquis fœdus ciuile triumphis,
Ac Pacı blanditur Amor: Pax aurea lætos
Inuehitur per agros, feſtóque per oppida curru.
Quo fert cúmque pedem, grauido ſe Copia cornu
Fundit, & omniferi, quas Sol diſcriminat ortu,
Confuſis anni vicibus, ver floribus arua
Pingit, & in ſtipulam lactentes euocat herbas
Alma Ceres, pleníſque adoleſcit pampinus vuis.
Sola gelu, & tardis damnatam noctibus Vrſam
Seruat hyems, lætíſque ſuos opponere nimbos
Lucibus, & nigræ timuit velamina bruimæ.
Has inter ridentis opes, & gaudia mundi,
Iam primos experta thoros, iam gratior ipſo
Libati floris damno, vultúque ſerenans
Æthera, formoſi comes & decus ANNA *mariti*
Agmine procedit lento; mirantur euntem
Attoniti circùm populi, paſſimque per vrbes
In caput, intranti, violáſque, roſáſque, crocúmque,
Et tandem tunc primùm auſos ridere hyacinthos
Deſuper, ac plenis inuergunt Lilia palmis,
Et reſono laudes tollunt ad ſidera cantu;
Eximias laudes, & magnum in nomen ituras.
Hinc ſtirpis decus ingentis, cui plurima virtus,
Virtutíſque comes, ventis fortuna ſecundis
Imperium latè varias extendit in oras.
Hinc vel quas natura dedit, vel firmior annis
Adſciuit ratio, vel cultu protulit vſus,
Virtutes: veræ in primis pietatis amorem,

Et faciles aditus, mollésque precantibus aures,
Cordáque nec sceleri, nec iniquæ peruia fraudi.
Quid reliquas memorem, naturæ munera, dotes?
Mirantur gestu fassæ sua gaudia turbæ
Non vno cingi meritam diademate frontem,
Certantésque astris oculos, atque æmula vernis
Ora rosis, mixtóque genas candore rubentes.
Quæ paribus, quicunque videt, cùm laudibus ornet;
Non alium tamen egregiæ reuerentia formæ
Per cupidos animis oculos infundit amorem,
Quàm rutilam quo nos lucem veneramur, & ipsum
Auctorem lucis Solem; qui sparsa per orbem
Omnia cùm radiis foueat, lustrétque coruscis,
Vni gaudet aui genitalem insumere flammam,
Consortésque rogi rediuiuo funere cunas.

EPITHA-

EIVSDEM EPITHALAMIVM REGIVM.

QVEM *populis, Europa, tuis fatalia nentes*
Vellera concordi ſpondebant voce Sorores,
Ecce diem, ſeris tandem voluentibus annis,
Aduexit roſeo coniux Tithonia curru.
Cernis vt Eois ſolito formoſior vndis
Os rutilum attollat, mœſtúmque oblita Nouembrem
Inſerat æſtiuas alienis menſibus horas?
Ipſe etiam nitido perfundens lumine terras
Sol pater & pluuiis grauidos humentibus Auſtros
Diſcutit, & toto depellit nubila cœlo.
Scilicet humanis adſpirant numina votis,
Et thalamos, LODOICE, *tuos, felicia pacis*
Gentibus æternùm manſuræ pignora, certant
Auſpiciis ſancire ſuis. Iam pronuba ſignum
Extulit æthereum Iuno, nil nubibus Irin
Debentem, fuluo limbus quam concolor auro
Ambit, & extremas circùm diſcriminat oras.
Iam vetitum priùs audiri per ſecula longa
Quæ reſonos cœli torquet reuolubilis orbes,
Cantum audire dedit Siren, quo concita latè
Subſiliit tellus, fundóque remugiit imo
Vndique prætentæ Doris circumflua terræ.
Audiit Eridanus, longè vagus audiit Iſter;

Quique dedit noſtræ fluuius cunabula genti,
Vix Salios auſus famâ tranſcendere fines:
Pocula ſolenni ritu miſcere Choaſpes
Regibus oblitus concentu impulſus amœno eſt:
Quæſitæque diu celator originis, ortus
Prodidit ipſe ſuos Nilus, dum iubila mundi
Auribus explorans dubiis ſublimis ad auras
Emicat æthereas, & quem conterritus olim
Fugerat, ac flammæ, fumóque reliquerat orbem,
A Phaëthontææ recreatum clade ruinæ
In vultus rediiſſe ſuos miratur, & amnem
Tam latis ſtagnare vadis: pater ipſe ſonantes
Iordanes tacitis fluctus ſuſpendit habenis
Sidereos vitreo admirans ſub fornice cantus.
Vos etiam Heſperiis luſtrati claſſibus Indi,
Vos Canades Gallis dociles parere receptis,
Vos, quibus extremo conſermina Zambla Trioni
Ignauas medium noctes extendit in annum,
Inſolitum veſtro ſtupuiſtis ab axe canorem.
Atque aliquis ſine more nouas miratus Olympum
Ire vias, melioris, ait, datis omina ſecli,
Effœtúmque ſuos mundum reuocatis in ortus,
O miſeris Superi faciles ſuccurrere terris.
Singula ſed quid ego referam quæ plurima lato
Signa refulſerunt cœlo? quæque ipſa futuris
Fama ſibi quondam trepidabit credere ſeclis?
Vtraque feſtinis ſpatioſi machina mundi
Fœderibus ſubſcribit ouans, & publica lætis
Gaudia partitur populis. At Gallia mater
Antè alias lato tellus quas ſuſtinet orbe,

Ritè Deos castas supplex venerata per aras
Exultat, festósque sibi de more triumphos
Sedula molitur, refluis quà Tethyos vndis
Burdigala extremi signat confinia Regni.
Haud aliàs tantæ solennia munera pompæ
Explicuit, tantóve diem dignata paratu est
Læta parens. Nec cùm cœli Clodoueus amici
Auspiciis victor votum auxiliaribus aris
Persoluit memor, & sceptrum transcripsit Olympo,
Membra salutiferis tinctus feliciter vndis.
Nec cùm perculsum latè populantia mundum
Agmina Turonicis vindex auertit ab oris,
Et tinxit virides Arctoo sanguine campos
Martellus. Sceptri clypeus tutela sinistram
Ornat, & igniuomo Soles vmbone lacessit.
Bellatrix nitidum, fatalémque hostibus ensem
Dextra gerit. Cœlo quondam demissa supremo
Lilia turrigeræ decorant fastigia frontis,
Intextámque auro chlamydem: quam pignus amoris
Ferre sui Natura dedit, solérsque figuris
Distinxit variis: Nam quà circumdata fluxos
Laxat zona sinus, manus ingeniosa secantes
Frugiferam liquido fluuios discrimine terram
Pinxit, & impulsas ventis hinc inde carinas;
Vndantémque agris Cererem, iucundáque Bacchi
Munera per latos passim surgentia campos,
Et nemora, & montes, & cinctas mœnibus vrbes.
Parte aliâ, lento diues quà fibula morsu
Committit lateri vestem, Mars plurimus auro
Surgit, & externos ferro quatit arduus hostes.

Castra gemunt inimica; cruor fluit undique morti
Mixtus, & in rutilo spirat Libitina metallo;
Lætáque congestas numerat Victoria palmas.
Hinc patrio gemini pulsata cubilia Solis
Milite virtutem latè testantur auitam.
Illinc Andinis concussa Neapolis armis:
Lanigerámque suem torto quæ serua colubro
Mutauit nostris toties gens addita sceptris:
Nec procul Adriacæ populus nupsisse quotannis
Qui Thetydi gaudet, dotaliáque arua paciſci,
Actus in angustæ natalia claustra paludis.
Belgáque non vno victum se vulnere fassus.
Et vetitus liquidas Anglus transcendere metas.
Quò fert cúmque gradum cultu Regina superbo
Incedens, pulcher roseis Amor aduolat alis,
Et plaudens Venus, & damni secura Voluptas.
Ponè subit picto saltans Comœdia socco,
Et vigiles Risus abigens de pectore curas,
Et Bacchi Genius comes, & conuiuia ludis
Producens Comus variis, & mista Choreis.
Otia, cúmque Iocis molles palpantia sensus
Gaudia: Nec lauro præcinctæ tempora desunt
Quæ celebrent hilari lucem Pæane Sorores,
Felicísque canant genialia fœdera tedæ.
Ipse chorum medius dextrâ formosus Apollo
Temperat, & totam versans sub pectore Cyrrham
Præscia fatidicis sic vocibus ora resoluit.
O mundi lux prima, Ioui gratissima tellus,
Nec mihi, qui Druydum priscas tibi cultus ad aras,
Germanisque minùs statio iucunda Camœnis,

Ex quo nos patriâ Syrius furor egit ab arce;
Hæc niueo tibi iure dies ſignanda lapillo eſt,
Gallia, quæ totum mittens in fœdera mundum
Tempora venturos meliora retexit in annos:
Qualia Saturnus lætis mortalibus olim
Condidit infantis primâ ſub origine mundi.
Quippe placet fatis: Nec tu non tanta mereris
Præmia, quæ profugis toto virtutibus orbe
Vna diù ſedes quondam & tutela fuiſti.
Et nunc antiquæ reuocans pietatis amorem,
Ac patrias acuens, pulsâ rubigine, leges,
Quà licet, atque datur, priſci fundamina Regni
In melius recidiua refers, ni iuris & æqui
Impatiens cœptis Mauors ſurgentibus obſtet.
At non ille ſuo tantum licuiſſe furori
Sentiat, vt reliquis plaudentibus, vnus iniquis
Inſurgens odiis fata eluctata moretur.
Nec ſinet æternum nutu qui torquet Olympum:
Ne dubita: Quæ lenta vides conſurgere campis
Arma, cadent tepidi primo ſub limine veris.
Hic reſides acuet tantùm non longus alumnos:
Excitus furor, & ſtimulos torpentibus addet.
Vnde tibi haud modico mox ſurgat adorea fructu.
Nam neque paruus honos turmas molliſſe feroces,
Et Soles referens modò Pax rediuiua ſerenos
Gratior accedet; veluti poſt frigora pulſa
Elora coloratis reuireſcit amœnior aruis.
Dum loquor, ecce animis ſubrepit, & intima tentat
Pectora conſuetæ Dea blanda quietis amore.

Jámque minas, placidíſque cadentes mentibus iras
Componens ſtudiis concordibus explicat omni
Iuppiter infeſtæ populos diſcrimine ſortis.
Illi ſe paribus comitem Saturnia curis
Addit, & Europæ vinclo iunxiſſe perenni
Præcipuas properat gentes, quæ gentibus olim
Dent leges reliquis, aut in ſua fœdera ducant.
Hinc procul, hinc diris patriæ qui gaudia turbant
Ominibus, caſúſque animo verſare futuros,
Et Superos intrare metu didicere magiſtro.
Nulla hîc lethiferis Diſcordia cincta colubris
Væſanum belli populis inſpirat amorem,
Et ſerit occultas, pugnarum ſemina, rixas.
Qualem Peliaci quondam genuêre Hymenæi
Mutua diuiſo miſcentem funera mundo.
Pax contrà, Paciſque Fides tutela, Salúſque
Publica, tranquilliſque reducens otia terris
Alma Quies, cœlóque Redux Aſtræa, iugalis
Fœderis in partem veniunt, animíſque receptæ
Infandas Erebi peſtes, Fraudémque, Scelúſque,
Furgiáque, Inſidiáſque, accinctáſque enſibus Iras
Nilum vltrà, geminæque relegant littora Iauæ,
Et noua mutatis ducunt hinc ſecula fuſis
Quas manet æterni, Parcæ, cuſtodia fati.
Dixerat: Affini repetitos littore cantus
Ingeminans, curuóque Garumna ſub amne volutans
Saltantes patriis excit Tritonas ab vndis:
Et domini læto ſancitas carmine ſortes
Delphica fatidico cortina remugit ab antro.

At caua de ſacris clangentia turribus æra
Conſcia lætificis tinnitibus aſtra fatigant:
Bellicáque innocuo tonitrus imitata fragore
Sulphureas tormenta vomunt per inania flammas,
Et totum vndanti ſubtexunt aëra fumo.
Inſequitur torti clangor circumſonus æris,
Et ſonitu tellus pariter pelagúſque reſultant.
Agglomerat, pompaque facit per compita partem
Ipſe ſibi occurrens populus; Iuuenéſque, ſenéſque,
Et matres longæuæ, & ſplendida turba, puellæ,
Aut pedibus choreas plaudunt, aut carmina cantant;
Indulgéntque epulis, Bacchúmque per ampla laceſſunt
Atria, conceptis repetentes pocula verbis.
Soluit in effuſos ſe feſta licentia plauſus,
Et vix ſe vix ipſa capit; coit omnis in vnum,
Et ſtrepitu fremit vrbs vario, dum læta paratus
Explicat ingentes, arcus, pictáſque triumphis
Et longis moles titulis: ſibi feruidus inſtat,
Exercétque animos, & corda oblita dolorum
Surgens arte labor: Qualis ſub veris amœni
Tempora verſat apes, cellis cùm parua relictis
It campo, Zephyríſque leues gens explicat alas.
Denſantur, ſtreperóque ſibi ſe murmure miſcent,
Et complent liquidum ſtridentibus aëra bombis.
Tergeminus ſtudiis certat concordibus Ordo
In Regis commune decus Regníque: nec vllus
Non ſummum putat eſſe nefas, grauitate ſerenum
Infuſcare diem nimiâ, vel ponere frænos
Lætitiæ. Cenſum confert in publica mundi

Gaudia quiſque ſuum: ſola eſt menſura vel artis
Vel fundi reditus: totum ſibi prodigit annum
Vna dies, creſcitque ſuis opulentia damnis.
Interea primam iam ſera crepuſcula noctem
Ecce trahunt, dubiámque dies vaneſcit in vmbram.
Iam tremulas cœlo flammas iaculatur ab alto
Heſperus aurato circumuelatus amictu,
Et duplici nitidam cinctus diademate frontem.
At via fulminibus vetitum quà lactea ſulcum
Porrigit, Vraniæ proles, Hymenæus ab æthrâ
Emicat, & tenebras gemmatæ fulgure pallæ
Rumpit ouans circùm: tedam de more iugalem
Dextra rotat pòpulus altè ſublata: tenaces
Altera fert nodos, magni quibus arbiter orbis
Quattuor adſtrinxit primos elementa ſub ortus,
Et fluxam æterno molem deuinxit amore.
Præſentem venerata Deum Natura fauillæ
Ardorem trahit æthereæ, flammámque per omnes
Inſuetam admittit partes: Oblita furorem
Tigris ad emeriti reuocat ſe gaudia veris:
Vitis adoptiuam complexa tenaciùs vlmum
Oſcula dat trunco, ramíſque ſequacibus aucta
Intempeſtiuas extundit palmite gemmas:
Palmáque vicinam properat ſibi iungere palmam.
Nec minùs humanos genialia gaudia ſenſus
Pertentant; Regem imprimis, cui pectus amore
Alma rudi Cypris incendit, teneróſque per artus
Liquitur, & primos venis exſuſcitat ignes:
Vt roſa fornacis lento reſoluta calore

Diffluit,

Diffluit, & guttas manibus desudat odoras.
Ille sibi, quas poscit Hymen, succrescere vires
Conscius exultat, Venerémque per oscula neruis
Insinuans stimulos vertit sub corde maritos.
Nunc manibus tentare sinum, nunc æmula primæ
Stringere colla niui gestit, nunc gaudet amatos
Sideribúsque pares oculos defigere blandis
Luminibus, dulcémque adspectu pascere amorem.
Sic vbi primæuâ vix dum trieteride vernans
Ceruus Acidaliæ genitalia semina flammæ
Concepit, notúsque feris calor ossibus hæsit;
Congeneris thalamos dominæ per & horrida dumis
Tesqua, per & rupes, per & addita rupibus antra
Ambit, & aucturo gentem præludit amori.
Ridet Amor, matríque fremens gratatur ouanti
Par benè compositum, quo non formosius vnquam
Aut dedit, aut populis regio dabit vlla futuris.
Cernite virgineæ quàm blanda modestia fronti,
Et quàm lætus honor sedeat! Decor ipse pudicis
Diffundit radios oculis, tingitque venustam
Murice natiuo faciem; velut alba per hortos
Purpureo Titan distinguit poma colore.
Non coniuratis Helene repetita carinis
Audeat eximiæ contendere munere formæ;
Nec tu, quam Phrygiâ nudam miratus in Idâ
Demeruit pomo genti fatalis adulter.
Quis verò egregiæ, natæque ad grandia mentis
Non miretur opes? Roseis effusa labellis
Flexanimis placidas mulcet sermonibus aures

Suada Periclæas iam dedignata procellas.
Natiuíque fluunt dicentis ab ore lepôres,
Quos Venus & triplex certatim Gratia laudet,
Adſcribátque ſuis. Tantis ſe dotibus addunt
Factura ſeris exempla nepotibus olim
Virtutes. Monitis Pietas cœleſtibus hærens,
Et Pudor, illæſique Fides ſoror alma Pudoris,
Cordáque degeneri liueſcere neſcia fuco,
Et faciles, niueóque exacti pumice mores.
Nec minor à ſceptris honor vndique ſurgit auitis,
ANNA, *tibi, longis cui ſtemmata fulta trophæis*
Explicat antiquæ Dius proxima ſtirpis origo,
Hinc dominas pandens Aquilas, & nomina faſtis
Condita Cæſareis, illinc virtutis Iberæ
Herculeas auſum robur contemnere metas.
At licèt in geminum longos Hiſpania mundum
Diffundat titulos, patrióque ſuperba fluentes
Gurgite iactet opes; illi minor ire recuſat
Indocilis ſorti ſubmittere Gallia faſces
Humanæ, faliſve potentem ſubdere dextram.
Gens bello, & bello quæſitis clara trophæis
Poſt variis actum latè terroribus orbem,
Atque triumphatas vtroque à cardine gentes,
Quà cuneos vetitum, gladióſque inferre minaces,
Intulit æterno decus indelebile cœlo.
Quid memorem antiquos, Mauortia pectora, Reges,
Quos gladio quæſitus honos, & dilata terris
Gloria venturo memorandos tradidit æuo?
Vnus qui ſolio nuper conceſſit auito

HENRICVS pater eximiis virtutibus omnes
Prouocat, & Magni viuax per secula nomen
Promeritus, quinto placidus nunc Martis ab axe
Fulget, & in Luparam surgentes temperat iras.
Nec minor, vt crudis virtus adolescit in annis,
Incedet, thalami qui te Iunone secundâ
Consortem sibi legit: Habet quo Gallia patris
Iacturam leuet, & fractos assurgat in ausus.
Ille, nisi ambiguo tripodes frustrantur hiatu
Me Clarij, ludúntque suos oracula vates,
Maiorum titulos, & spes implebit auitas.
Stat dextræ promissus honos. Non flore iuuentus
Induerit se prima nouo; iam debita Gallis
Vindice sceptra manu repetens, per inhospita vero
Aruq Deo, celsâ procul applaudente Sione,
Ventilat Eois fatalia signa tyrannis.
Bistoniæque terens sibi decrescentia Lunæ
Cornua, vix refugas cohibentem Bosphoron vndas,
Ac Byzi positos vicino in littore muros
Fulminat, & iusto repetitam Marte seueris
Legibus, ac vinclis Syriam constringit ahenis.
Inde Paretonij tremefacta per ostia Nili
Rumpet iter fatis, eluctatúsque minantes
Exitium moles, & propugnacula cœli
Æmula fornicibus, totis vndantia campis
Agmina disiiciet ferro, latúmque per hostes
Limitem agens medios seras dabit vltor auitis
Manibus inferias, vinctos post terga tyrannos,
Arcúsque, clypeósque, & versis signa maniplis:

Qualiter Oleniæ pluuiò ſub ſidere capræ
Turbidus aërij ſummo de vertice montis
Incubuit campis deuexo gurgite, torrens:
Ille ſibi ripas poni indignatus apertis
Cum ſonitu fertur ſpatiis, atque aggerat iras
Spumeus, & Cererem lactentem, hyemíſque labores
Inuertens rapido circùm rotat omnia fluctu.
Hinc meritos referet titulos, longóque triumphos
Ordine deducet varios, & Gallica rurſus
Victor Idumæis intexet Lilia palmis.
Scilicet hunc fatis debet fortuna tenorem
Æternis: Nec degeneri tener indole Princeps
Spes hominum arrectas, iuſtíſque fauentia votis
Numina deſtituit. Iam Martia caſtra, tubáſque
Viuidus, & rudibus patrem meditatur in armis:
Et luxu, pigróque negans torpere veterno
Exercet faciles robuſtis artibus annos.
Interdum artifici corpus verſatile flexu
In pugnam docilis ſinuat, fictúmque rẽtuſis
Martem acuit gladiis, & proluſoria miſcet
Prælia, tot clades Arabi, tot funera Mauro
Ventura: vt quondam Phrygias imberbis Achilles
Euertebat opes paruæ ſub imagine pugnæ.
Interdum iaculo, vel ahenæ verbere glandis
Deturbat celſo patulæ de culmine quercus
Certus auem, aut mediis pendentem intercipit auris:
Nec vacuo, ſterilíve manus defungitur ictu.
Nunc ſternacis equi ferrato calce fatigat
Indomitum latus, & rauco luctamine fractum

Multiplices lentis in gyros flectit habenis.
Nunc pictâ insignis pharetrâ, Tyrióque decorus
Murice, quà frondosis suis vmbracula pandit
Callirhoë dominis, & amœnos fontibus hortos,
Partitur vacuas campis natalibus horas:
Et longis nemora alta canum latratibus implet.
O quoties vel apro, celeri vel retia ceruo
Ponentem gelidis suspiraûere sub antris
Nequicquam Dryades, crinésque, oculósque, genásque
Miratæ: Verbis etiam committere votum
Ausa aliqua, O felix, inquit, quæ prima maritum
Te faciet virgo, permissáque gaudia carpet!
Quantus in ore decor! placidæ quæ gratia frontis!
Talis erat Veneri quondam dilectus Adonis:
Talis, qui propriæ deceptus imagine formæ
Indulsit vitreas nimiùm sibi fontis ad vndas.
Sic ait. Attonito cumulatis laudibus ore
Addit amor plausus, & spes sibi fingit: at ille
Fertur equo citus, & volucri secat auia cursu
Auersus, vultúsque fugâ subducit amatos.
Sola placet, quæ prima imis infixa medullis
Ancipitem dubiis animum suspendere votis,
Inque vagas oculos prohibet transfundere turbas:
Huic spolia, & primi exuuias sacrauit amoris.
Fortunate nimis! quem virginis æquus amatæ
Mittit in amplexus facili Iunone Cupido,
Et dignâ Superis donat mercede potiri.
Anxia non auido conceptas pectore flammas,
Votáque fallacis spes ludit imagine somni:

Debeat auſpicium magni, qui fœdera cunis
Sanciat iſta ſuis naſcens, mox grandis auitum
Extendat ſolium, & mundi complexus habenas
Aurea pacatis componat ſecula terris.
Fallor? an & læuum cœli de parte ſerenâ
Intonuit, puróque refulſit Iuppiter igne?
Accipio certum ruptis de nubibus omen.
Sic erit: Euenient adytis quæcunque recluſis
Et cecinit Phœbus prior, & nunc incitus æſtro
Phœbæo, Luparâ lætum plaudente, reuoluo.
Atque mihi hinc aliquis ſeros fortaſſe ſub annos
Surget honor, tumulóque ferens ſolennia dona
Poſteritas, quæ nos, dicet, felicia cœli
Munera, compoſitis terimus nunc otia bellis,
Iſte priùs quondam venturi conſcius æui
Veridico magnam prædixerat ore per vrbem.
Dignus, qui vatum priſcos hinc ferret honores.
At ſua, ſpes dubitans proprias agnoſcere, nullis
Vel titulis illum, vel laudibus extulit ætas,
His ignotum ipſis, quorum decora alta per orbem
Sparſerat, & fauſtis coëuntia fœdera tedis.

EIVSDEM
FELICITAS GALLIÆ.

AVDIVERE *preces Superi: votísque piorum*
Subscripsit placidi felix clementia cœli.
Illa diù nostras latè grassata per oras
Detumuit posito tandem Discordia ferro:
Incumbénsque sibi versis Mars impius armis
Demersit Stygio caput exitiale barathro,
Et secum vltrices traxit sub Tartara Diras,
Pallentésque metus, impacatósque furores,
Et consanguineo gaudentes vulnere pugnas.
At bona pax, iunctísque tenax concordia dextris,
Et Domini iuratus amor, pietásque, fidésque,
Ac fidei germana Themis, plenúmque per agros
Copia diffundens cornu, simul omine dextro
Optatos retulere gradus. Quæ Sequana primùm
Sub vitreis vt sensit aquis, de gurgite curuo
Muscosum caput, & rorantem adspergine barbam
Sustulit, ac tales effudit pectore voces.
Non hæc, ô Superi, non hæc sine numine vestro
Eueniunt, mihi venturi quæ conscius æui
Proteus, Hesperiis præduxerat aduena ripis.
Scilicet inuicti quondam post funus acerbum
HENRICI, *fore cùm trepido quassata tumultu*
Gallia ciuili cognatas sanguine dextras
Imbueret, casúsque vrgeret fata supremi.

Donec

Donec commissas animo complexus habenas
Iam patre, iam dignus sceptro LODOICVS *auiti*
Assereret decus imperij, Celtísque perenni
Fœdere sancitæ reuocaret munera pacis.
Nec mora; cùm veterum renouans exempla parentum
Aurea barbaricis inferret Lilia terris,
Et totum quateret signis victricibus orbem.
Iámque fides manifesta; sui modò vindicis æquam
Sensit opem externi fastum sine more tyranni
Indignata pati Lupara, & decrescere vero
Imperium Domino. Vos illi tempora palmis
Cingite, vos lætos iuueni properate triumphos,
Vos laudes cumulate nouas, quicunque nocentis
Crimina damnastis belli. Sic aurea cœli
Regia prostrato quondam gauisa Typhœo
Victori cecinit lætum pæana Tonanti.
O Flos Borbonidum, cui se natura fatetur
Insumpsisse suas, nascenti prodiga dotes,
Nec dare posse parem: quid dignum talibus olim
Augurer auspiciis? Tibi iam, tibi contrahit orbem
Thracia Luna suum, ac turbatas Bosphorus undas:
Et ponit tumidos prono diademate fastus
Admirata nouum sibi Persia surgere solem.
Hæc melioris erunt quondam primordia sortis;
Post etiam maiora manent. Sic voluere Parcæ
Admonet haud fluuio vates mentitus amico.
Interea sæui quodcunque licentia belli
Degeneri pridem genti, scelerísve, dolíve;
Indulsit, quà dura sinunt discrimina rerum,
In melius refer, & legum munimine firma.

Hæ iam tum lustris sedeant crescentibus artes,
Iustitiam colere, & mores componere lapsos.
Hinc decus egregium, hinc nullo delebilis æuo
Gloria, & ad seros laus peruentura nepotes.
Ergo age, rumpe moras, operique incumbe, nec antè
Desine, quàm summi tangatur meta laboris:
Ipsa aderit, facilique audentem limite ducet
Alma Themis, primo quæ Regibus adsidet æuo,
Et natalitiæ cedet tibi pondera Libræ.
Mox etiam vigiles certatim adiungere curas
Contendent, grauium notus molimine rerum
SILLERIVS, *vindéxque seuerus iuris & æqui*
VÆRIVS, *& meritis aptum cui regia nomen*
Villa dedit, paribúsque auctos virtutibus æquans
IANINVS *titulos, melioris pignora sæcli.*
His ducibus, magni vestigia nota parentis
Obseruans, primi reuocabis tempora mundi
Aurea, cùm rutili nondum cessisset Olympi
Imperium gnato pater, & mortalibus vltrò
Funderet ætherio victum de semine tellus.
Dixerat: Insequitur plausus, strepitúsque frementis
Lætitiâ populi; festus quatit æthera clamor;
Deuexæ resonant valles, collésque supini;
Vernáque pacatis reuirescunt germina campis.

CATALOGVS AVCTORVM HVIVS OPERIS.

ANonymi, 133. 156. 220
A.B.C. 269
Baptista Laurus 130
Bertelot 106. & 116
Borbonius 280
C.M. 149
Delidel 94
Doni 224
Fauereau 1
Grammont, Epistola & Carmina post Epistolam, item 215
Girardus 101. 113. & 121
Habert 132
Heroüard 265
Iournée 237
Isnard 240. vsque ad 255
L.C. 158
Machault 162
Marbeuf 272
Mæratius 123
Du May 210
Petauius 33. vsque ad 94
Pontanus 238
Rochemaillet 219. & 270
Le Roux 239
Sirmondus 309
Tarinus 259
Therundus 159
Thomas 273
Vauasseur 255

ERRATA PAVCA SIC CORRIGE.

POST Epistolam versu primo, lege *dixit*. Pag. 150. versu vltimo leg. *ornabat*. Pag. 151. ver. 1. leg. *mollito tergere ventres*, & versu 17. leg. *fronti*. Pag. 154. ver. penult. leg. *Palæstina gemens*. Pag. 159. ver. 2. leg. *saxa*. Pag. 218. ver. 12. leg. *acido*. ver. 13. leg. *inuisa saxa*. Pag. 223. ver. 1. leg. *pharetrata*. Pag. 239. ver. 8. leg. *albos*. Pag. 256. ver. 6. leg. *exeret*.

Rot Ah66221